



# **Specimen historico-juridicum inaugurale de jure, quo Gelriae Trajecti et Transisalaniae regiones, postquam Ao 1672 ab hoste fuerant occupatae, in antiquum foedus recipi debuissent**

<https://hdl.handle.net/1874/341903>

G. VAN HEECKEREN TOT KELL,

DE

JURE, QUO GELRIAЕ TRAJECTI ET  
TRANSISALANIAЕ RЕGIONES, POSTQUAM  
Aо. 1672 AB HOSTE FUERANT  
OCCUPATAE, IN ANTIQUAM FOEDUS  
RECIPI DEBUISSENT.

echt









12-5



## G. VAN HEECKEREN TOT KELL.

DE

JURE, QUO GELRIAЕ TRAJECTI ET  
TRANSISALANIAЕ REGIONES, POSTQUAM  
A. 1672 AB HOSTE FUERANT  
OCCUPATAE, IN ANTIQUUM FOEDUS  
RECIPI DEBUISSENT.



## SPECIMEN HISTORICO-JURIDICUM INAUGURALE

DE

JURE, QUO GELRIAЕ TRAJECTI ET  
TRANSISALANIAЕ REGIONES, POSTQUAM  
A. 1672 AB HOSTE FUERANT  
OCCUPATAE, IN ANTIQUUM FOEDUS  
RECIPI DEBUISSENT,

QUOD,

SUPREMO FAVENTE NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

HENRICI EGBERTI VINKE,

THEOL. DOCT. ET PROF. ORD.

ANPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

UT ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE

IN JURE ROMANO ET HODIERNO HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

GUILIELMUS VAN HEECKEREN TOT KELL,

GELRUS;

DIE XXII. M. JUNII, ANNI MDCCXXXIX. HORA II.

TRAJECTI AD RHENUM,

EX OFFICINA L. E. BOSCH.

MDCCXXXIX.





**PATRI CARISSIMO  
SACRUM.**



## SPECIMINIS CONSPECTUS.

### PARS I.

CAPUT I. BELLI INTER FOEDERATARUM PROVINCiarum REmpUBLICAM ET FRANCIAE REGEM LUDovicum XIV a. 1672 OBORTI CAUSAE. HOSTIUM IRRUPTIO ATQUE TRIUM PROVINCiarum OCCUPATIO.  
EORUM SECESSIO a. 1673 ET 1674. . . . . Pag. 1.

CAPUT II. DELEGATI TRIUM PROVINCiarum AB HOSTIBUS OCCUPATARUM A COLLEGIIS UNIVERSITatis REMOTI. ACTA, POST HOSTIUM SECESSIONEM,  
ADILLAS PROVINCias IN SOCIETATEM RECEPIENDAS,  
USQUE AD ILLARUM IN FOEDUS RESTITUTIONEM. . . . . » 20.

CAPUT III. CONDITIONES SUB QUIBUS TRES PROVINCiae IN FOEDUS RESTITUTAE SUNT. . . . . » 30.

## PARS II.

CAPUT I. De vinculo quo foederatae pro-	
VINCIAE INTER SE CONJUNCTAE ERANT AD UNIUS	
REIPUBLICAE UNIVERSITATEN. . . . .	Pag. 47.
CAPUT II. De jure quo provinciae gelriae,	
TRAJECTINA ET TRANSISALANA AB HOSTIUM OCCUPA-	
TIONE LIBERATAE IN ANTIQUUM FOEDUS RECIPI	
DEBUISSENT. . . . .	» 71.
CAPUT III. De injusto modo, quo tres	
PROVINCIÆ IN ANTIQUUM FOEDUS RECEPTEAE SUNT. .	» 83.

## PARS PRIOR.

## Caput Primum.

BELLI INTER FOEDERATARUM PROVINCIARUM REPUBLICAM ET FRANCIAE REGEM LUDOVICUM XIV A. 1672 OBORTI CAUSAE. HOSTIUM IRRUPTIO ATQUE TRIUM PROVINCiarum OCCUPATIO. EORUM SECESSIO. A. 1673 ET 1674.

Ludovicus XIV, cum uxorem duceret Mariam Theresiam Philippi IV Hispanorum Regis filiam, conventioni qua ea omnibus juribus renuntiavit, quibus ad successionem regnum paternorum voca-

retur, assensum praebuit<sup>1</sup>, et pace Pyrenaica, anno 1659 inita, ea res confirmata est atque sancta. Patuit tamen continuo, Ludovicum de hac conventione parum sollicitum, imo consilio esse animatum, Belgium Hispanicum post socii mortem, suae ditioni addendi. Hispania, provinciis illis contra Franciae Regis aggressionem defendendis se parem non esse sentiens, Reipublicae Foederatarum Belgii Provinciarum periculum, quod ei quoque ex protracto Francici imperii limite versus ipsius Reipublicae fines immineret, ante oculos ponere conabatur, et foedus mutuae securitatis causa, inter XVII Provincias Belgicas, ut ideo Regis immoderato regni amplificandi atque dominandi studio obviaretur, urgebat.

Johannes de Witt, qui tunc temporis in Hollandia munere Consiliarii Pensionarii quem vocant<sup>2</sup>

<sup>1</sup> Cf. SIBOUT CORNELIUS KLINKHAMER, *Disputatio historico-politica de bello propter successionem regni Hispanici gesto, pace Rheno-Trajectina composite*, in Academia Rheno-Trajectina defensa et edita Amstelodami 1829, pag. 33. sqq. § 9 de renunciatione Mariae Theresiae, atque utrum licet, nec ne, juri suo in successionem regiam renuntiare. § 10 de causis propter quas renuntiationes Francos inter et Hispanos frequenter agitatae sint. § 11 an potuerit Maria Theria renuntiatione liberos suos a successione excludere. — AITZEMA, *Saaken van Staat en Oorlogh* vol IV pag. 473. KLUIT, *Historiae federum Belgii federati*, Lugd. Bat. 1790 vol. I. pag. 78 sqq. 176 sqq.

<sup>2</sup> *Syndicum Hollandiae* eum dicunt alii magis latine. Cf. KLUIT l. I. pag. 13 et 168. — De hujus muneris origine et natura

fungebatur, eadem aetate tam externarum quam internarum rerum Foederati Belgii curam gerebat; nam, quamvis munere suo tantum provinciae Hollandiae addictus, in Ordinum Generalium conciliis tantam auctoritatem, sua rerum politicarum peritia et insigni ingenii acumine, quae siverat, ut in universam Rempublicam potestatem majorem habere videretur, quam ullus ante eum Guberna-

egregie nuper scripsit J. C. H. VAN TETS, *dissert. hist. jur. publici, continens historiam muneric Consiliarii Pensionarii Hollandiae.* Lugd Bat. 1836. In parte I. Cap. I. § 1. Vir doctiss. historiam creationis advocatorum Hollandiae narrans, de latente hujus muneric origine loquitur, idque, laudata L. l. § 1. Dig. *quod cujusque universitatis nomine,* confert aliquo modo cum munere eorum, qui Romano nomine *Syndici* dicebantur, in majoribus imperii Germanici civitatibus. Melius munus Advocati Hollandiae cum munere eorum, qui in pluribus Germaniae regionibus *Syndici Ordinum* sive *Landschafts Syndici* dicebantur, comparari posse videtur et hujus rei origo repetenda esse ex ea aetate, qua in diversis Germaniae regionibus, legati trium Ordinum qui jam antiquiori aetate distinguebantur, *unum corpus* sive *universitatem* facere ethinc etiam *Syndicum* habere posse, intelligebantur. Exstant adeo testimonia actorum, quibus Ordines in diversis Germaniae regionibus in unum corpus coaluerunt. Non prorsus hujus indolis est documentum, alias notatu dignissimum, anni, 1359, quod sub tit. *Landvrede of verbond tus-schen de Heeren Ridderen Knapen en Steden der landen van Gelre en Kleef,* legitur in: *Gedenkwaardigheden der Geschiedenis van Gelderland door I.S. AN. NYHOFF.* II, deel, Arnhem 1833, pag. 109. — Wittum disertis verbis *Landsyndicus* appellat SPITTLER, *Geschichte der Europ. Staaten*, Berlin 1807. vol. 1:

torum<sup>1</sup>. Ille vir, quamvis Ludovicum ut vicinum metueret, ejus tamen amicitiam hisce regionibus utilem, imo necessariam ducebat. Idecirco cum Regis studium occupandi Belgium Hispanicum certissimum videretur, cum eo, de illis provinciis in Reipublicae formam redigendis, et de parte urbium munitarum Franciae, altera parte Foederati Belgii Reipublicae tradenda, egit; quod ideo a Wittio propositum, nonnulli contendenterunt, ut is Regis consilia melius perspiceret<sup>2</sup>.

---

pag. 529: *Huic viro sane ante oculis versabatur simile munus in Ordinum Würtemburgensium historia notum. Notatu etiam digna sunt ea, quae H. J. REICHARD in opere: *Monarchie, Landstände und Bundesverfassung in Deutschland, nach der historischen Entwicklung und auf den gegenwärtigen Standpunkten*, vol. 1. Leipzig 1836.* pag. 297, sqq. narrat de *Syndico Ordinum* jam ante annum 1483 ad unius corporis universitatem conjuncrorum in territorio Principum Ruthenicorum (*Reuss-Plauen*); quorum potestas sere ut principum Gelriae potestas ex munere *Advocatorum fisci* originem duxit, unde ipsius regionis hodierna adhuc appellatio explicanda est (*das Voigtland i. e. Land der Reichsvögte*. Ipsa vox *fiscus* voce *Reich* exprimebatur, unde dicta apud nos est regio *het Ryck van Nymegen*, et in Germania regio ad Mosellam sita *das Cröverreich*, antiquitus *fiscus Croivius* appellata, quam regebant *Advocati imperiales* recentiori adhuc aevo).

<sup>1</sup> Cf. KLEIT, *Historie der Hollandsche Staatsregering*, vol. III. pag. 304, sqq.

<sup>2</sup> Cf. WAGENAAR, *Vaderlandsche Historie* vol. XIII. pag. 110, 111, et R. G. J. C. BAKE, *de deliberationibus super provinciarum Belgicarum Hispaniae sive libertate sive partitione a Johanne de Witt cum Francia habitis*, Lugd. Bat. 1834. Ibi etiam

Quidquid hac de re sit, deliberationes protrahebantur ad tempus usque, quo Philippus IV Hispaniae Rex supremum diem obiit, anno 1665, regnum suum filio Carolo II aetate minori atque imbecillo relinquens. Testamento Carolo II Maria Anna Austriaca mater ejus tutrix data erat, cui, additoque ei concilio, imperium committebatur.

Ludovicus XIV nunc armis adipisci periclitabatur, quod obtainere non potuerat pactis conventis. Anno 1667 medio Majo vi armata in Belgium Hispanicum irrupit, et brevi tempore plurimas Hannoniae et Flandriae urbes occupavit. Carolum II Angliae Regem, rerum externarum parum sollicitum,

pag. 5 sqq. expositae sunt causae, quibus inde a pace Monasterensi anni 1648 id effectum est, ut Franciam inter et Foederatum Belgium discordiae elementa nascerentur, et tum usque ad pag. 13 causae arctioris vinculi, quod usque ad foedus triplex, Ludovicum inter et Wittum exstitit. » Ex quibus omnibus», ait auctor, « satis appareat, hanc amicitiam, tam ex meitu quam ex politica rum rationum convenientia ortam esse.» Fontibus vero in arguimento exponendo usus est scriptor, praeter *Secrete Resolutien van Holland*, atque *Brieven van JON. DE WITT*, in primis *d'Estrades lettres, mémoires et négociations*, quae Lond. 1743. et alibi prodierunt. Pag. 19 ex *wittii epistolis*, vol. I pag. 639. affertur locus ex quo patet, hunc virum praevidisse, quid post obitum Regis Hispaniae, Franciae Rex esset molitus. KLUIT in *hist. foed.* pag. 168 etiam loquitur de arcanais, quae apud Belgas inierat legatus Francicus, consiliis, quibus Rempublicam commodis Regiis devinctam tenuerat, et in nota addit: » de quibus, fidem ut faciunt omnes *d'Estradis* literae, ita in primis consulatur praefat. *Belgic. ad has literas* pag. 103 sqq. ed. 8°. »

rapidissimus hic armorum Regis Franciae progressus stupefecit. Metuebant Angli, ne Rex, superato Belgio Hispanico, Foederatis Provinciis immineret, et deinceps Europae imperitaret. Wilhelmus Temple, qui Angliae Regis legatus Bruxellis erat, ad solum Wittium missus est, ut sententiam hujus viri exploraret, quod ubi fecerat, jussu Regis ex Anglia Hagam Comitis reversus est, ut de foedere ad Franciae progressus arcendos ageret. Hoc foedus, intra quinque dierum spatium a duobus illis rerum politicarum peritissimis viris, ad frenum cupiditati Franciae Regis injiciendum, anno 1668 ictum, et ad quod paulo post Suecia accessit, nomine *Triplieis Foederis* notum est<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Cf. WAGENAAK, *Vaderl. Hist.* vol. XIII. pag. 296 — 308. KLIJN, *Hist. der Holl. Staatsr.* vol. III. pag. 313, 314. et AENEAS MACKAY, *de tripli foedere anno 1668 inter Regem Angliae, Regem Sueciae et Ordines Generales Foederati Belgii icto.* Traj. 1829. Auctor etiam usus est fontibus manuscriptis, qui in Tabulario regni asservantur. Cf. praefatio pag. VIII. Celebratissimus Angliae historiographus D. HUME in historia Angliae Cap. 64 de foedere illo tripli, memorabilia haec verba protulit: « an event received with equal surprise and approbation by the world. Notwithstanding the unfortunate conclusion of the war, England now appeared in her proper station, and by this wise conduct had recovered all her influence and credit in Europe. Temple likewise received great applause; but all the compliments made him on the occasion, he modestly replied, that to remove things from their centre or proper element, required force and labour; but that of themselves they easily returned to it. »

Hac confederatione, qua victoriis finem imponere et Aquisgrani pacem cum Hispania inire Ludovicus XIV cogebatur, ita Rex offensus erat, ut ad illam frangendam omnia tentaret, et in primis Ordines Generales Foederati Belgii, quos foederis autores considerabat, ulcisci niteretur<sup>1</sup>. Colbertus missus est, ut animum Caroli et ejus consiliariorum immensis largitionibus labefactaret; et in primis opera sororis Henricae Stuartae, quae nupta Philippo Borbonio Duci Aurelianensi Ludovici XIV fratri, morum elegantia et ingenio erat praestantissima, in Angliam specie visendi fratris missae, Carolus de Triplici Foedere subducebatur, et ad foedus cum Francia ineundum movebatur.

Suecia, quae primum initiae confoederationi stare velle videbatur, tandem etiam eo inducta est, ut foedere Franciae se adjungeret.

Ita etiam Ludovicus varios Germaniae principes foederibus sibi conciliare conatus est, ne hi ali-

<sup>1</sup> Vid. VOLTAIRE, *Siecle de Louis XIV.* tom. I chap. 7 ubi dicitur »Louis XIV fut indigné, qu'un petit état, tel que la Hollande, conçut l'idée de borner ses conquêtes et d'être l'arbitre des Rois, et plus encore qu'elle en fut capable. Cette entreprise des Provinces-Unies lui fut un outrage sensible, qu'il fallut dévorer, et dont il médita dès-lors la vengeance." Quatenus Ordines Generales revera foederis autores et motores considerandi essent, diligenter examinavit MACKAY in dissert. laud. pag. 32, sqq. Conf. etiam pag. 34, laud. AITZEMA, de iis, quae jam inde ab anno 1667 cum Suecia acta erant.

quando ipsi impedimento essent, quominus consilia sua ad finem perduceret. Constanter tamen Elector Brandenburgicus et Dux Neoburgensis cum Francia foedus iniire detrectaverunt, ad quod Coloniae Elector et Monasteriensis Episcopus quam facillime permoti sunt, quamquam pluribus annis ante, et hi et illi cum Ludovico XIV foederis societatem inie-  
rant, quod *Foederis Rhenani* nomine<sup>1</sup>, alteri eo nomine nostra aetate inito, quasi praeludebat<sup>2</sup>

<sup>1</sup> Die 14. Augusti 1658 hoc foedus initum est, cogente id Electore Coloniensi, Johanne Phelippo, ne Leopoldi Imperatoris potestas, libertati principum Germanicorum et novae Imperii constitutioni, quae pace Osnabrugensi anno 1648 confirmata videbatur, aliquid periculum afferret. Ludovicum XIV, qui ipse tunc temporis Imperatoris Germaniae dignitatem appetiverat, sed renitentibus principibus non obtinuerat, utique in foederis sui societatem asciverunt Germaniae principes, eo jure (Germaniae saepius funesto) utentes, quod ipsis pace Westphalica primum disertis verbis concessum erat (sicut etiam in recentissima Germanica confoederatione constitutum est), jure scilicet, cum exteris foedera ineundi. Ludovicus XIV etiam pacis Westphalicae et hinc quodammodo constitutionis Germaniae sponzionem suscep-  
perat, et hoc quoque ei viam aperuit ad foederis illius Rhenani communionem. Jam autem inde ab anno 1666, quo primum Regis Franciae consilia perniciosa Flandriae respectu patefieri cooperunt, foedus illud non amplius continuatum est.

<sup>2</sup> Cf. hac de re JOHANNES VON MÜLLER, *der Fürstenbund*, lib. V. cap. 5. in Oper. vol. IX. pag 266. In ejusdem operis lib. II. cap. 16. Oper. vol. IX. pag 83. notatu digna leguntur sub titulo : *Sir William Temple, Wilhelm III und Friederich Wilhelm*. Ex iis tamen quae MACKAY exposuit loc. supra laud. JOH. V. MÜLLER hoc loco nimias laudes Templio tribuisse videtur et Wittii merita injusto silentio praeterisse.

Die 6 Aprilis 1672 Franciae Rex Provinciis Foederatis bellum indixit, nullam aliam causam allegans, quam gloriam suam ab Ordinibus offensam<sup>1</sup>. Sequenti die a Rege Angliae etiam belli indicendi formula prodiit, in qua Carolus vanissimis usus est rationibus, interque eas praetextu litis veteris de signis navalibus submittendis<sup>2</sup>.

A cunctis sociis derelicta, a Rege validissimo, cui insuper adjuncti erant duo Germaniae Principes, terra, et a conjunctis Franciae et Angliae classibus mari, attentata, Foederatarum Provinciarum Respublica miserandum in modum erat divisa.

In contrarias partes tota Respublica discesserat; altera pars Gubernatorem Praefectumque militiae summum postulabat, ornatumque Principem Arau- siacum his titulis et muneribus volebat; altera vero huic utriusque consilio vehementer adversabatur. Prius desiderium plerasque provincias tenebat; posterior sententia, in primis Hollandiae proceribus et magistratibus oppidanis placuit, duce et moderatore Wittio. Hic enim munus illud libertati harum regionum periculosum ducebatur; nec negare au- serim, ejus in Gubernatoris dignitatem odium, maxi- opere auctum fuisse malo patri illato<sup>3</sup>. Per-

<sup>1</sup> Cf. *Hollandse Mercurius*, 1672. pag. 29.

<sup>2</sup> Cf. *Hollandse Mercurius*, 1672. pag. 23.

<sup>3</sup> Cf. *Staatkundige partyen in Noord-Nederland*, Amstelodami 1837. pag. 184. Verissime observat scriptor: « het harf be- » drieft zich zoo ligt, indien men datgene als nuttig kan be- » schouwen, wat men begeert. »

*petui edicti*, per quod illa dignitas in Hollandia in perpetuum abolita est, Wittius auctor erat.

Qui Principis Arausiaci adolescentis electionem cupiebant omnes, quoad fieri poterat, a muneribus publicis arcebantur. Haec sententiarum diversitas, qua majores nostri tunc temporis in duas factiones scindebantur, quam plurimum valuit ad labefactandam Rempublicam per extremos annos ejus aetatis, quam *stadhouderlooze tijdperk* dicunt nos trates, cum ea per ejusdem aetatis primos annos, regente Wittio, ad summum dignitatis, amplitudinis et potentiae fastigium adscendisset<sup>1</sup>.

Post pacem Aquisgrani initam, cuius perpetuitatem Triplex Foedus spondere videbatur, Ordines diminuendas esse copias terrestres decreverant<sup>2</sup>. Belli rumoribus insequente jam anno perlatis, denuo cogitare cooperant de civibus armandis; attamen, quamquam minante periculo, annus 1669, et magna anni 1670 pars abiit, ante quam circa hanc rem, certi quid statutum est. Dissensus enim erat circa copiarum praefectum creandum; ad hanc scilicet dignitatem, sex provinciae Principem Arausiacum evehi volebant, quod tamen Hollandia et praecipue Wittius, impedire conabatur. Cum tandem immensum periculum Wittium cogeret, ut provinciis Principis electionem postulantibus cederet, tantum

<sup>1</sup> Cf. KLUIT, op. laud. vol. III, pag. 324, sqq.

<sup>2</sup> Cf. AITZEMA, op. laud. vol. VI, pag. 575, sqq.

temporis adhuc terebatur, in exhibendo Praefecti Generalis copiarum terrestrium ac maritimarum mandato, et in controversiis distrahendis, quae circa hanc dignitatem ab illa Gubernatoris sejungendam ortae sunt, ut tunc demum ad se defendendos vere cogitarent litigantes, cum ad id tempus amplius non esset. Jam mense Novembri anni 1671, Provincia Trajectina Ordinibus Generalibus consilium dederat, copias terrestres augendi, et, licet plures Provinciae id fortiter urgerent, decreatum tamen de conscribendis militibus, usque ad mensem Februarii anni sequentis differrebat, causa interposita, prius consensum de eligendo Praefecto Generali requiri. Principe Arausiaco 23 Februarii anni 1672 tandem ad hanc dignitatem evecto, placuit simul delectum fieri 21,200 militum extra Foederatas Provincias, et conventionem iniri cum Helvetis et quibusdam Germaniae Principibus minoris ordinis, ut quasdam cohortes suppeditarent, quae tamen frustra exspectabantur. Multi copiarum praefecti, jam mense Novembri anni superioris ad militum delectum Hagam Comitis arcessiti, quos diu morari taedebat, ad Francicos, Colonienses et Monasterienses militatum abierunt<sup>1</sup>; quo facto magna erat copiarum praefectorum peritorum inopia, et cum idcirco ad haec munera suscipienda, rerum militarium impe-

---

<sup>1</sup> Cf. SAMSON, *Histoire de Guillaume III.* vol. II. p. 80. 81.

ritissimi eligerentur, plane disciplinae militaris defectus existebat<sup>1</sup>. Mense Aprilis sequenti alterum decreverunt 21,600 militum delectum, enjus ut prioris multae cohortes domi remanebant, multae vix ad dimidium numerum completae sunt, multaeque adhuc armis carebant, cum jam hostes appropinquarent<sup>2</sup>.

Nec melior fuit castellorum conditio; maximam partem enim ea neglecta erant collapsaque, et omnibus rebus ad bonam defensionem necessariis nudata; tormentorum bellicorum optima erant in navibus, atque in armamentariis parce eorum comparationi provisum erat<sup>3</sup>.

Licet credibile vix sit, Rempublicam contra validissimum Franciae Regem, cum Coloniae Electore et Episcopo Monasteriense insuper consociatum, se defendere potuisse, inertia tamen et socordia quacum defensio parabatur, numquam excusari poterit. Quod tempus impendi potuerat imo debuerat, ad imminens periculum avertendum, id litibus consumebatur de conservanda vel minuenda Gubernatoris potestate, de creando copiarum duce,

<sup>1</sup> Cf. *Secrete Resolutien der Staten van Holland*, vol. III, pag. 255.

<sup>2</sup> Cf. VALKENIER, 't Verwerd Europa, Amst. 1675, vol I, pag. 302 — 307.

<sup>3</sup> Cf. VALKENIER, op. laud. pag. 258, 259, 310. et KLUIT, op. laud. vol. III, pag. 364.

de sessione Principi Asausiaco in Reipublicae concilio (*Raad van State*) concedenda <sup>1</sup>.

In ultimis mensis Maji 1672 diebus, Ludovicus XIV cum exercitu 110,000 militum in tres cohortes diviso, quibus praefecti erant Turenne, Condé et Crequi, Mosam transgressus, per agros Leodiensium et Juliacensium ad Rhenum tendebat <sup>2</sup>. Hicce exercitus, cui praeerant illius temporis ducum militarum peritissimi, omnium rerum necessariarum copia egregium in modum instrutus, eximia disciplina militari excellebat. Urbes Orsovicus, Budericum, Vesalia, Resium, Embrica, Rheinberga ab Ordinum militibus occupatae <sup>3</sup>, intra

<sup>1</sup> Vid. WAGENAAR, vol. XIII. pag. 427 — 432.

<sup>2</sup> Leodiensium libertatem et neutralitatem quam vocant se tuitur esse pollicitus erat Ludovicus XIV, promisso tamen non stetit, qua de re questi sunt Leodienses. Cf. FOULLON *Historia Leodiensis*, Leodii 1737. fo. vol. III. pag. 352 sqq. Electoris Coloniensis nomine cum Francicis pactum erat, ut eorum copiae Tongri et Mosaci remanerent, adversus quod pactum contestatum est Capitulum Leodiense instrumento publico. Id etiam querelas ad Caesarem detulit, cuius nomine Hague Comitam de ea re actum est. Batavi, ut resert FOULLON, collaudabant Capitulum atque gratias referabant Caesari, ob ejus erga Leodienses humanitatem. Ex his vero Foederato Belgio nullum auxilium emersit.

<sup>3</sup> De origine occupationis harum urbium ab Ordinum militibus, vid. IS. A. NYHOFF, *Bijdragen voor Vaderlandsche Geschiedenis en Oudheidkunde*, vol. II. P. I. Arnh. 1838. in *Commentatione*, quae etiam de totius hujus capituli argumento conferatur, s. t. *De Vereenigde Nederlanden in 1672*, pag. 14. in not.

paucos dies, mense Junio, in hostium potestatem venerunt. Elector Coloniae, Monasteriensis Episcopus et Francica cohors, cui Dux Luxemburgensis praecerat, conjunctis viribus in Transisalaniam et in Zutphaniae Comitatum irruperunt, qui totus intra mensem, eorum ditioni subjectus est<sup>1</sup>. Franci interim, cum Rhenum vadosum prope vicum Lobith transiissent, celeriter arce Drusiana, Arnhemia, Noviomago, Zutphania, Tila, multisque aliis urbibus et castellis potiti sunt<sup>2</sup>. Quorum plurima sine pugna se dederunt, quia destituta omnibus rebus ad defensionem necessariis<sup>3</sup>, omniq[ue] auxiliū externi spe, nihil nisi voluntariam sibi superesse ditionem cernebant. Ubique terror et metus Ludovicum anteibant.

Princeps Arausiacus, parva cum manu Isalam defendens, postquam Franciae exercitus Rhenum transierant, consilium cepit, consentientibus delegatis in castris commorantibus (*gemagtigden te velde*) suas copias retrahendi, ut, nisi Trajectum, saltem Hollandiam defenderet. Castris prope urbem Trajectinam positis, hujus urbis magistratus a Principe petierunt, ut urbem intraret, eamque defenderet, vel ut saltem copias quarum stipendia

<sup>1</sup> Cf. VALKENIER, op. laud. I. pag. 434 — 446. et 540 — 596.

<sup>2</sup> Cf. VALKENIER, op. laud. I. pag. 454 — 539.

<sup>3</sup> Cf. *Secrete Resolutien der Staten van Holland*. vol. III. pag. 256. 257.

ipsi solvebant, ad ipsos defendendos relinquere. Hoc autem recusatum est, addita causa, quod Ordines Generales Principi mandassent, ut exercitum intra Hollandiae fines retraheret. Trajectini auxilio destituti, in castra Drusiburgensia, ubi morabatur Rex Franciae, legatos miserunt rogatum, ut placidus ille ac propitius Trajectum veniret, et 5 Julii ei urbem ingredienti claves sunt oblatae<sup>1</sup>; qua de re Ordines Generales certiores faciebant literae ab Ordinibus Trajectinis missac, in quibus simul causae expositae erant, quibus Trajectini, ad id quod fecerunt, commovebantur<sup>2</sup>. Similiter Hollandiae urbes Woerden et Oudewater, quas defendere minus consultum judicabatur, hostes subito ceperunt. Ab altera parte Monasteriensis Episcopus, Covorda occupata<sup>3</sup>, Groningam oppugnavit, fortissima tamen hujus urbis civium defensione, infecta re et 10,000 militibus amissis, discedere coactus est<sup>4</sup>.

Cum hostes, tribus provinciis celerrime devictis, Amstelodamo imminent, in quam urbem Reipublicae aerarium translatum erat, tanta Hollandiae civium trepidatio tantusque stupor erat, ut nil superesse iis videretur, quam ut ad clementiam Re-

<sup>1</sup> Cf. SYLVIUS, *Vervolg op AITZEMA*. Lib. IV pag. 304.

<sup>2</sup> Literae illae inveniuntur in: *Historiesch verhaal van de onwettige behandeling de Provintie en Stad van Utrecht aangedaan in de jaren 1672, 73, 74*. pag. 111.

<sup>3</sup> Cf. VALKENIER, op. laud. I. pag. 615.

<sup>4</sup> Cf. VALKENIER, op. laud. I. pag. 784 sqq.

gis Franciae confugerent. Ipse Wittius de Republica desperabat. Legati 23 Junii in castra Regis missi sunt, qui inquirent, quibus conditionibus illi cum Ordinibus agere placeret. Hi vero legati dimissi sunt nihil consecuti, quia agendi auctoritate nulla instructi erant. Petro Grotio vero paullo post, agendi copia impetrata, ad Regem Franciae reverso, Ordinum nomine oblatum est omne territorium, quod sub ditione Reipublicae Belgii Foederati extra septem Provincias erat, et praeterea centies centenorum millium florenorum summa ad belli sumtus pensandos. Sed haec ab Ordinibus oblata, superbia elatus Franciae Rex acceptare recusavit. Contumeliosae pacis conditiones a Ludovico XIV propositae, indignatos cives reddiderunt fortiores et animosiores. Perpetuum edictum abolitum, atque Guilielmus III ad Gubernatoris dignitatem creatus, rerum conditionem prorsus mutabant<sup>1</sup>.

Ludovicus mense Julio 1672 Parisios reversus, Turennium ad Rhenum et Westphaliae fines, ut Electorem Brandenburgicum, qui copias eo collegerat, coërceret, et ducem Luxemburgensem, cum

---

<sup>1</sup> VOLTAIRE IN opere jam citato dicit: « Ces conditions d'une paix, qui tenait tant de la servitude, parurent intolérables, et la fierté du vainqueur inspira un courage de désespoir aux vaincus. On résolut de périr les armes à la main. Tous les coeurs et toutes les espérances se tournèrent vers le Prince d'Orange » Cf. VALKENIER, op. laud. vol. I. pag. 717, 718.

exercitus parte, Trajecti reliquerat. Recuperatio quarundam urbium Hollandiae ab Ordinum copiis, infelici tamen successu, tentata est, et dum Princeps Arausiacus Caroloregium in Belgio Hispanico aggredi moliebatur (de quo tamen coepito desistendum ei erat), dux Luxemburgensis mensē Decembri, cum continuo atque vehementi gelu flumina constiterint, ita ut transitum exercitus pati facile viderentur, irruptionem in Hollandiam suscepit. Attamen secuta paulo post fluminum glacie concretorum solutione, hostes reverti cogebantur. Circa idem tempus Covordia, a Monasteriensibus occupata, recuperata est.

Sub finem anni 1672 Franciae Rex, intercessione Regis Sueciae, inducias proposuit ab Ordinibus recusatas; nec meliorem exitum consilia habuerunt ad bellum componendum, initio anni subsequentis, Coloniae suscepta. Eodem anno Ordines foedera cum Duce Lotharingensi, cum Germaniae Imperatore et cum Hispania inierunt; ad quae ferienda metus in primis Franciae praevalitaurae diversos illos Principes commovisse videtur<sup>1</sup>. Irruentibus eorum cohortibus, Ludovicus ex plurimis quidem urbibus, ab ipso in Foederatis Provinciis occupatis, ante finem adhuc anni 1673 milites de-

<sup>1</sup> Hoc quoque censent HEEREN et alii historiae politicae scriptores. Erant tamen etiam Imperatori peculiares causae querendi de Ludovici XIV agendi ratione. Cf. SÖLTL, *Geschichte der Deutschen*, Freib. 1836. vol. IV. pag. 21.

ducere cogebatur; antea tamen ubique gravia tributa de civibus exigebat. Episcopus Monasteriensis et Coloniae Elector, recendentibus Franciae Regis copiis, ipsi quoque jam ante finem anni 1673 a nonnullis, quae occupata tenerant, Drenthinae et Transisalanae regionis locis secesserunt. Ad pacem cum Republica ineundam imprimis movebantur, Bonna a Principe Arausiaco, auxiliantibus Imperatoris copiis, expugnata. Pax vero confecta est inter Monasteriensem Episcopum et Rempublicam die 22 Aprilis 1674, sub ea lege, ut Episcopus ex omnibus ab ipso occupatis oppidis et regionibus secederet, atque foedus Cliviense 18 Aprilis 1666, ex omni parte executionem nanciseretur. Similibus conditionibus etiam cum Coloniae Electore pax inita est<sup>1</sup>.

Ruiterus et Trompius, conjunctis Angliae et Franciae classibus, gloriose per hoc temporis spatium restiterant. Angliae Regem Parliamentum hujus belli sumtus amplius ferre recusans, ad pacem cum Republica ineundam coegerit, quae mense Februarii 1674 confecta est.

Mense Maji 1674 hostium exercitus penitus ab omnibus regionibus Belgii Foederati abierant; nihil amplius, quod tenerent Franci, restabat, praeter Graviam et Trajectum ad Mosam, quae tamen oppida ipsa eodem adhuc anno recepta sunt. Martis

---

<sup>1</sup> Cf. WAGENAAR, vol. XIV, pag. 305.

sedes deinceps in Belgum Hispanicum et in Germaniam translatā, pax vero inter Franciam et Belgii Foederati Rempublicam non nisi post dicuturnas deliberationes, die 10 Augusti 1678 demum, Noviomagi confecta est.

## Capit Secundum.

DELEGATI TRIUM PROVINCiarum AB HOSTIBUS OCCUPATARUM A COLLEGIIS UNIVERSITATIS REMOTI. ACTA, POST HOSTIUM SECESSIONEM, AD ILLAS PROVINCias IN SOCITATEM RECEPIENDAS, USQUE AD ILLARUM IN FOEDUS RESTITUTIONEM.

Gelriae, Trajecti et Transsalaniae regionibus a copiis Francicis, monasteriensibus et Coloniensibus devictis, Ordinibus Hollandiae illae provinciae, quippe ab hostibus occupatae, in concilia universitatis legatos mittere non posse videbantur, ideoque die 4 Auguſti 1672 ii decreverunt: » de zaa-  
» ken ter Generaliteit zulks te beleiden, dat de af-  
» gevvaardigden van Gelderland, Utrecht en Over-  
» ijssel, bij voorraad op de beleefdste en beschei-  
» denste wijze, uit de Algemeene Staatsvergaderingen  
» en uit de andere Generaliteits-collegien mogten  
» geweerd worden: of wel onder de hand, te weeg  
» gebragt, dat deeze afgevaardigde zig, vrijwillig-

» lijk , en zonder daartoe , eenig besluit der Staten » af te wachten , uit de vergaderingen hielden <sup>1.</sup> » Quibus peractis , Gelriae legati petierunt , ut ipsis de hoc decreto cum Hollandiae mandataris agere liceret ; cui petitioni satisfacere Ordines Hollandiae recusabant , atque in decreto persistere iis placuit . Die 29 Septembris proxime secuto , in concilio Ordinum Generalium , Hollandiae decretum confirmatum est , et ab eo tempore legati illarum trium provinciarum se a conciliis universitatis abstinebant .

Cum mense Novembri anni qui subsecutus est 1673 , verosimile esset , Franciae copias urbem et provinciam Trajectinam brevi esse relicturas , Ordines Generales die ejusdem mensis 18 , postquam omnes huic Collegio addicti se silentium servaturos esse jurassent , statuerunt , ut simul ac hostes ex urbe secessissent , eamque sociorum copiae occupassent , illuc mitterentur legati qui curarent , ut omnia ibi Ordinum aliave concilia magistratumque officia pro tempore cessarent , atque simul omnia quae necessaria viderentur , ad seditiones et tumultus antevertendos , atque ad maleficos justis poenis puniendos ordinarent , usque dum Ordines Generales , consulto Principe Arausiaco , aliud statuisserent <sup>2.</sup> Ordines Trajectini die 22 Novembris Or-

<sup>1</sup> Vid. *Resolutionen der Staten van Holland* , 4. Aug. 1672 . pag. 73. et *WAGENAAR* , vol. XIV. pag 309 sq.

<sup>2</sup> Vid. *Utrechts Placaatboek* , vol. I. pag. 111 : » Dat de ge-

dinibus Generalibus per literas nuntiabant, Franciae copias ex urbe decessisse, provinciaeque libertatem esse redditam, se vero ad Principem Arausiacum legatos misisse, qui illi Gubernatoris dignitatem offerrent. Simul petierunt Ordines Trajectini, ut suis legatis iterum sessio concederetur in universitatis conciliis. Quo facto die 24 Novembris in Ordinum Hollandiae Concilio decretum est, consulto Principe Arausiaco, in Concilio Ordinum Generalium jam id agendum esse, ut eorum Ordinum legati Trajectum mitterentur, qui omnia Ordinum ejus provinciae aliave consilia et magistratum officia sisterent et reliqua peragerent, quae

\* melde heeren by provisie, . . . . . soo veel mogelyk en doenlyk  
 \* is, ook door alle meest krachtige efficacieuse middelen, sullen  
 \* besorgen, dat by provisie . . . . sullen cesseren en ophouden  
 \* alle Staatswyse, mitgaders alle andere vergaderingen van ge-  
 \* deputeerde Staten, Geëligeerden, Ridderschap, Hof van Justitie,  
 \* Burgemeesteren, Schepenen en Vroedschappen en diergeleyke,  
 \* ende dat voorts de gemelde heeren hare H. M. gedeputeerden  
 \* mede by provisie . . . . soodanige ordre sullen stellen ende  
 \* die voorsieningen doen, dat de voorz. Stad en Provintie buyten  
 \* alle confusie, tumult ende tweedracht, ende in behoorlyke  
 \* ruste gehouden werde, ende die haar zouden mogen komen te  
 \* buyten te gaan, geapprehendeert, gecorrigeert ende gestraft  
 \* mogen worden e. q. s. Praeviderunt viri Amplissimi, ut patet  
 ex ejus documenti exordio, mox eos, qui, cum hostes provincias  
 occupassent, in Hollandium confugerant, in suam patriam  
 reversuros esse, en dat men soude trachten de Staatswyse  
 vergaderingen etc. etc. te continueeren; atqui his desideriis  
 impedimentum opponendum visum est!

jam antea in eum casum , si hostes discessissent a provinciis , in iisdem fieri decreverant Ordines Generales . Amplius statutum est : « Dat wyders de » Heeren haer Ed. Groot Mogende ordinaris gedepu- » teerden ter Generaliteit met de Heeren gedeputeer- » den aldaar van de andere Provintien sullen over- » leggen en overwegen hoe , en in wat voegen de » gemeene Bondtgenooten de hooghgemelde Provintie » souden behooren te considereeren , en daar mede » te procedeeren <sup>1</sup> . »

Urbem Trajectinam die 23 Novembris Ordinum copiae , comite Hornensi imperante , occupaverant ; die 26 ejusdem mensis quinque ex Ordinibus Generalibus delegati Trajectum venerunt , qui omnes magistratus muneribus amoverunt , et ex mandata ipsis potestate dictoria civibus Trajectinis leges imponere , atque edicta proponere cooperunt <sup>2</sup> .

Deliberabant interim Hollandiae Ordines de ratione et conditionibus , quibus provincia Trajectina duaeque aliae , cum ex iis hostes decessissent , in societatem iterum reciperentur . Censebant praeципue quaedam civitates , non incongruum fore , hac data opportunitate , provinciae Hollandiae partem provinciae Trajectinae adnectere , quia , cum provincia illa pluribus locis in hanc protendebat

<sup>1</sup> *Secrette Resolutionen der Staten van Holland* , 24 November 1673. II<sup>e</sup>. d. bl. 390.

<sup>2</sup> Vid. *Utrechts Placaatboek* , Vol. I. pag. 629 , 735. Vol. II. pag. 337 , 339 , 617 et 646.

tur, communia vectigalia Hollandiae in locis provinciae Trajectinae confinibus, incommode exigebantur, et facillime fraudari poterant; tum quia in Provincia Trajectina non tam gravia vectigalia, quam in provincia Hollandiae, exigi solebant. Putabant porro quidam, congruens fore, provinciam Hollandiam in conciliis Generalibus eum locum conservare, quem tunc temporis occupabat, inter ceteras provincias scilicet et socios primarium<sup>1</sup>.

Deliberationibus hac de re cum Principe Arausiaco initis<sup>2</sup>, in concilio Ordinum Hollandiae 2 Febr. anni 1674 decretum est, Provinciam Trajectinam duasque alias, cum ab hoste liberatae forent, iterum in reliquarum provinciarum societatem admittendas esse, ita ut eundem locum reciperent, quem antea occupaverant, et omnia, quae antea sub earum ditione fuerant territoria, ad eas redirent, quibusdam tamen castellis exceptis, quorum imperium Hollandia haberet<sup>3</sup>. Die 3 ejusdem mensis iidem Ordines res in concilio Ordinum Generalium

<sup>1</sup> Cf. *Secrete Resolutien der Staten van Holland*, 23 Januari 1674. Vol. III. pag. 411.

<sup>2</sup> Cf. WAGENAAR, Vol. XIV. pag. 319, sqq. et *Utrechts Plaatsboek*, Vol. I. pag. 111. *Resolutie van Hooghgemelde Heeren Staten Generaal behelzende het advis conciliatoir van zijn Hoogheyd, den Heere Prince van Oranje, nopens de herstelling van Utrecht, Gelderland en Overijssel, en de Reassumtie in de Unie*, in dato den 19 Jann. 1674.

<sup>3</sup> Cf. *Secrete Resolutien der Staten van Holland*, 23 Janu. et 2 Febr. 1674. vol. III. pag. 414 et 415.

eo dirigere statuerunt, ut Principi Arausiaco auctoritas deferretur in Provinciis Trajectina, Gelriae et Transsalaniae, instituendi eos, quibus in regenda republica partes essent, creandique magistratus diversos eosque mutandi<sup>1</sup>.

Frisiae Ordines, decreto 18 Nov. 1673, vetuerant suos legatos in Ordinum Generalium concilio consentire, ut provincia Trajectina in foedus recipetur more antiquo et ordine, ex quo ante Frisiam ipsi locus erat; et die 14 Febr. 1674, hujus provinciae Ordines, consentientibus Ordinibus civitatis et regionis Groninganae (*Stad en Ommelanden*), de conditionibus egerant, sub quibus tres provinciae, quae a foedere remotae erant, in id recipiendae essent. Haec acta praecepit ad locum in universitatis conciliis Frisiis pree Trajectinis concedendum<sup>2</sup>, et ad alterum, praeter eum quem jam occupabant, locum in Senatu Reipublicae, *Raad van State* appellato, Groninganis tribendum spectabant, atque hac in re duae provinciae sibi invicem mutuum auxilium promiserunt<sup>3</sup>.

<sup>1</sup> Cf. *Resolutien der Staten van Holland*, 3 Febr pag. 39.

<sup>2</sup> Jam antiquiori aetate hac de re Frisos inter et Trajetinos controversia erat, et revera Frisi antiquitus in Ordinum Generalium conciliis ante Trajetinos locum habuisse videntur. Cf. P. PAULUS, *Verklaring der Unie van Utrecht*, Utrecht 1777, vol III. pag. 80. sqq.

<sup>3</sup> Cf. SCHWARTZENBERG, *Charterboek van Friesland*, vol. V. Ibidem pag. 1033, legitur: *Deductie der Staten van Friesland tot staving van hun regt van voorzitting en rang boven de Pro-*

Zelandiae legati in Ordinum Generalium concilio, paullo post incoertas de tribus provinciis recipiendis deliberationes, negaverunt, Zelando pasuros esse, vel minimam provinciae Trajectinae partem auferri, nisi ipsis civitas Briellensis et regio Voornensis redderentur. Ii etiam Frisiae locum, quem ea antiquioribus temporibus occupaverat, postulanti obstabant<sup>1</sup>.

Mense Martio ejusdem anni, Princeps Arausiacus nonnullique ex Ordinibus Generalibus delegati conciliandi animo sententiam de tribus provinciis restituendis proposuerunt, et Ordines Frisiae missis literis ad litis compositionem moniti sunt<sup>2</sup>. At, die ejusdem mensis 21, Frisiae Ordines decretum de illa sententia interposuerunt, in quo exiguum eorum in memoratas provincias studium clare perlucet<sup>3</sup>. Tandem, die 20 Aprilis 1674, Ordines Generales de sorte harum provinciarum definitivam sententiam pronuntiaverunt<sup>4</sup>.

Tres provincias denno in reliquarum provincia-

vintie van Utrecht ter vergadering der Algemeene Staten, den 6. Aug. 1674. Cf. etiam pag. 1079, 1086, 1110.

<sup>1</sup> Vid. WAGENAAR, vol. XIV, pag. 318.

<sup>2</sup> Hac literae inveniuntur in opere: *Tweejarige Geschiedenis sen, voorgevallen in de Jaeren 1674 en 1675*, door v. T. v. Amst. 1678. pag. 6 sqq.

<sup>3</sup> Vid. SCHWARTZENBERG, *Charterboek van Friesland*. vol. V.

<sup>4</sup> Cf. *Tweejarige Gesch.* pag. 9, et *Utrechts Placaatboek*, vol. I. pag. 112.

rum foederatarum societatem admissi placuit, multis tamen conditionibus earum restitutio adjectis, de quibus nobis ex industria agendum est, capite sequenti. Eodem decreto, Ordines Generales in Principem Arausiacum, circa regendam rem publicam et magistratus creandos, in tribus istis provinciis, satis amplam potestatem contulerunt, his verbis:  
 »Ende hebben haere Hoog Mog. aan meer hoogh-  
 »gemelde syn' Hoogheit gedefereert, gelyk deselve  
 »defererent bij desen de macht en auctoriteit, om  
 »nae ingenome informatie van nu af in de hoogh-  
 »gemelde Provintie van Utrecht, mitsgaders in  
 »de steden en plaatzen van Gelderlandt, en Over-  
 »yssel bij de Unie gekomen, en in deselve Pro-  
 »vintie van Gelderlandt en Overijssel, mitsgaders  
 »de vordere steden en plaatzen van dien, soo haest  
 »die mede onder de macht van de Unie gekomen  
 »sullen syn, die geene, die de regeeringe in de  
 »hooghgemelde Provintien of in de Steden van  
 »dien hebben gecomposeert, of eenige Ampten,  
 »t sy van Politie, Justitie of andere hebben ge-  
 »exerceert of bekleet, in de functie van de voorsz.  
 »hare Ampten te continueren, te herstellen, of  
 »ook daer van te verlaeten, en soodanige andere  
 »in hare plaatzen, of andersints in de vacante  
 »of deficierende plaatzen te committeeren, en de  
 »regeeringe in de hooghgemelde Provintien soo-  
 »danig te ordonneeren en bestellen, als hoogh-  
 »gemelde syn Hoogheit oordeelen sal, best be-

»quaemst en voor den Landen 't sekerst te wesen ;  
 »behoudelyk dat diegene , die alsoo van de voorsz.  
 »bedieningen of ampten souden mogen werden verla-  
 »ten , daerdoor , aen de eene syde , niet sullen werden  
 »gequetst of benadeelt in haeren goeden naem en  
 »saem , en dat ook aen de andere syde diegeene ,  
 »die bevonden soude mogen worden , haer niet  
 »naer behooren te hebben gecomporteert , door de  
 »voorsz. verlatinge niet en sullen mogen preten-  
 »deren , geëxcuseert te syn van de straffe , die  
 »derselver competente rechters , naer de rechten  
 »en placcaten van den Lande , souden mogen oor-  
 »deelen tegens haer in justitie te werden gede-  
 »creeteert , en geëxecuteert . Ende dat alle hetselve  
 »sal geschieden voor dese reyse , en sulks sonder  
 »eenige prejudicie of consequentie voor het toe-  
 »komende , ten aensien van de privilegien , vry-  
 »en gerechtigheden de hooghgemelde Provintien in  
 »'t gemein , of de leden en steden van dien , in  
 »het particulier competerende . »

His consequenter Princeps se Trajectum die 24 Aprilis 1674 contulit , atque ibi magistratus instituit , et ex accepto mandato regiminis formam ordinavit . Ex Gelria et Transalania , mense Maji ejusdem anni , hostes discesserunt , et Princeps cum impediretur , quominus ipse statim illuc se conserret , mandatarios misit , qui praevie omnia in ordinem redigerent . Mense Februarii anni qui proxime secutus est , ipse Princeps , quem

delegati ex Ordinibus Generalibus comitabantur, Arnhemum venit, ibique simili ratione ac Trajecti se gessit. Eodem consilio die ejusdem mensis 29 Zwollam adiit.

His peractis, legati trium provinciarum, jure-jurando de foedere, Trajecti anno 1579 inito, conservando iterum ab iis praestito, acceptisque conditionibus decreto 20 Aprilis 1674 praescriptis, ad collegia universitatis admissi sunt.

gatim ad hanc conditionem assignatae. Et dicitur quod  
etiam reges, duxes, duchi, amici, tunc generaliter  
victorii, sive viceriores, ambo, sive cognomina, itaq;  
sunt, etiam, non deinde, tibi quoniam p<sup>r</sup>o*te* dicimus  
etiam, emperatores, p<sup>r</sup>incipes, duxes, etiamque illi,  
non, nisi quod bona, honesta, erubet ab obsequiis  
non acceptatis.

### Caput Terrium.

CONDITIONES SUB QUIBUS TRES PROVINCIAE IN FOEDUS  
RESTITUTAE SUNT.

Post multas igitur deliberationes et difficultates tandem, die 20 Aprilis 1674, a quatuor provinciis in concilio Ordinum Generalium congregatis, statutum erat, ut Gelria, Trajectina et Transilvana provinciae in societatem reliquarum recipiarentur. Quibus vero conditionibus haec admissio locum habuerit, nobis nunc videndum est.

Frisia declaraverat, se consentire nolle recipiendis in foedus provinciis, quae hostium potestati cesserant, si idem iis denuo assignaretur locus, quem in conciliis universitatis, ante exterorum dominationem eae occupaverant, se saltem non passuram ipsi provinciam Trajectinam ordine anteire. Inter

has provincias, quod paucis jam supra monuimus, jam antiquiori aevo circa utriusque provinciae praerogativam controversiae motae erant, primum eo tempore, quo ab Ordinibus Generalibus ad Regem Franciae Henricum III legati mittendi erant, qui illi harum regionum summum imperium offerrent, atque ut tunc pro eo momento liti finis imponeatur, res sorti commissa erat<sup>1</sup>. Verum hoc non eo animo factum erat, ut jus perpetuum constitueretur, sed tantum altercandi finem facere pro tempore voluerunt ii, qui sortis decisionem esse decreverant. Inde tamen ab eo tempore, Frisiae Trajectinis postponebantur.

Episcopatus Trajectinus erat antiquitus Imperii Romano-Germanici principatus sive *Ryksvorstedom*, qualis numquam fuit Frisia, utpote quae nomine tantum ex jure publico Germanico minus illustri *Rijksheerlijkheid* condecorata erat, qua propter, nisi post cessionem, ab Episcopo Trajetino Carolo V factam, titulo *Principatus* titulus *Dominii* Trajectini fuisset substitutus, fortasse controversia illa locum non habuisset. Cum tamen Gelriae praerogativa in conciliis universitatis properea concessa esse videbatur, quia haec regio ex Imperatorum Romano-Germanicorum privilegio *Ducatus* nomine gaudebat<sup>2</sup>, potuisset etiam a

<sup>1</sup> Ut tunc dicebatur: »by forme van expedient te doen loten.» Cf. WAGENAAR, vol. VIII. bl. 336.

<sup>2</sup> Cf. P. PAULUS, I. I. pag. 80.

Frisia antiquissimi juris respectu similis honor vindicari; indubitati enim juris est, de Frisiae *Ducatu* sermonem fuisse in antiquissimis historiae documentis. Sed haec documenta pertinent ad aetatem, qua nullus adhuc principum Germanicorum proprio quodam jure ducatum possidere intelligebatur, sed ducatus potius honor imperatoria concessione delatus esse videbatur, et ex altera parte omnes quoque Imperii Germanici Episcopi cum Principatu simul Ducatum habere videbantur, peculiari quodam sensu juris antiquioris<sup>1</sup>. Ceterum Frisia, quamquam *Rijksheerlijkheid* diversis temporibus appellata, comparari utique non poterat cum iis Imperii Germanici territoriis, quae erant sub ditione dynastarum *Reichsfreiherrn* appellatorum, et dignitate principibus, ducibus, comitibus inferiorum. In his enim superioritas territorialis, quae dicebatur, ad ipsas dynastas quoque, proprio quodam jure, pertinebat. Sed Frisia, ut per aliquod tempus

<sup>1</sup> Cf. M. DE KOCK, *de potestatis civilis Episcoporum praecipue Trajectinorum in regno Francorum initis atque incrementis*, Traj. ad Rhen. 1838. pag. 129, sqq. Ea quae hoc loco § II. et pag. 19. § 4. de hoc arguento exposita sunt, confirmantur etiam duobus documentis, quorum alterum exhibit placitum a Comite Gelriensi cum Episcopo Monasterensi habitum, anno 1360, in: IS. AN. NIHOFF, *Gedenkwaardigheden uit de Geschiedenis van Gelderland*, Arnh. 1830. vol. I. pag. 122. alterum vero, anni 1206, de placitis communibus ab episcopatu cum ducatu habendis in Bavaria loquitur, in: M. FREYH: VON FREYBERG, *Geschichte der Bairischen Landstände*, Sulzbach. 1828. vol. I. pag. 206.

etiam Groningana regio *Rijksheerlijkheid* magis erat eo sensu, quo *Reichsstädte* dicebantur civitates, quarum *dominium*, nulla intercedente principis potestate, ad ipsum *imperium* pertinere intelligebatur antiquitus, usque dum in iis quoque, procedente tempore, superioritas territorialis orta esse censebatur, quae vero ad nullum principem, nullum dynastam pertinere intelligebatur, sed ad ipsam civium imperialium liberam communitatem. Talis *regionum* quoque libertas, ex qua eae *immediate*, ut dicebatur, sub imperio esse intelligebantur, in Germaniae diversis partibus existit antiquitus, et adeo adhuc recentiori aetate; et ut Groninganae ita etiam Frisiae regioni talem libertatem disertis verbis plura Imperatorum privilegia concesserant<sup>1</sup>. Antiquioribus temporibus Imperatores nonnunquam in ejusmodi regiones, a principum superioritate territoriali quae vocabantur liberas, principes miserunt ad eas regendas, vicario imperatoris nomine, qui *advocati imperiales* dicebantur. Neque in Frisia desunt hujus rei exempla<sup>2</sup>. Ut vero in aliis quoque Germaniae regio-

<sup>1</sup> Cf. ex. gr. SCHWARTZENBERG op. 1, vol. I. pag. 682. privilegium Frederici III. anni 1479, ubi incolae terrae et civitatum Frisiae liberi S. R. Imperii dicuntur. Cf. pag. 396. privilegium Sigismundi anni 1417, ubi Imperator Frisonibus privilegii causa promittit, se nullum iis principem nec spiritualem nec saecularem daturum esse.

<sup>2</sup> Huc etiam pertinet documentum anni 1290, quo Rudolphus

nibus etiam ex advocatorum potestate paullatim nata est superioritas territorialis, a qua ab initio probe distinguebatur, ita etiam in Frisia tandem Carolus V verum regionis dominium obtinuit et tuebatur, quodammodo confusione quadam potestatis imperialis et potestatis vicariae ab Imperatore in Imperii Germanici principem delatae.

Principum potestate in patria nostra abolita, non omnes conditionis antiquioris consecutiones ipso jure cessavisse, hae ipsae inter varias provincias de praecellente dignitate natae controversiae docent. Post primas autem de sua praerogativa motas controversias per longum tempus siluerat Frisia, atque provinciam Trajectinam ordine anteire siverat. Habitae vero deliberationes de provinciis, quae ab hostibus occupatae erant, in societatem recipiendis, renovandae litis causam prachuerunt, et Frisiae Ordines, quibus hac in re auxiliabantur Groningani, tanta pertinacia illam προεδρίαν obtinere gestiebant, ut in ipso Ordinum Generalium decreto de restituendis provinciis constitueretur, a Principe Aransiaco et Henrico Casimiro Nassoviae Principe Frisiae Gubernatore quasi arbitris, controversiam esse dirimendam: «ende dat syn » Hoogheyt, en den welgemelde Heere Stadhouder » de voorsch. questie tusschen de hooggemelde pro » vintien soodanig sullen decideren ende terminee-

---

Rex Comiti Gelriae talem potestatem commisit. Id etiam legitur  
in: VAN MIERIS, *Charterboek*, vol. I. pag. 507.

»ren, als deselve na recht ende reden in goede  
»justitie sullen bevinden te behooren.» Isti vero  
Principes die 23 Dec. 1675 Trajectinis locum anti-  
quiorem tribuendum esse arbitrati sunt<sup>1</sup>; atque  
interim duae illae provinciae in concilio Ordinum  
Generalium locum honoratiorem vicissim occupa-  
verant.

Antequam tamen provinciae Gelria, Trajectina  
et Transisalana in societatem iterum admitteren-  
tur, ab iis denuo jusjurandum de foedere conser-  
vando praestandum erat. Cui conditioni Ordines  
Trajectini d. 26. Aprilis 1674 satisfecerunt, Ordi-

<sup>1</sup> Vid. *Utrechts Placaatboek*, vol. I. pag. 174. Cf. etiam *FESTEL, Commentarii de Republica Batava*, ed. anni 1795, vol. I. pag. 129. Hoc loco monetur, jam in Augustana transactione anni 1548 Carolum V Trajectum non *principatum* sed *dominium* appellasse. Revera in hoc documento Carolus V. tantum loquitur de provin-  
cia Trajectina, patria Trajectina, terra Trajectina et dominio  
Trajectino, atque simul se *verum hereditarium et supremum  
dominium omnium regionum, quas suas patrimoniales provincias  
Belgicas* appellat, dicens, eas hoc ordine indicat: *Ducatus Lotharingiae, Gelriae, etc. Comitatus Flandriae, Hollandiae etc. Marchionatus Sacri Romani Imperii i. e. Antwerpia, Dominia Frisi-ae, Ultrajecti, Transisalaniae, Groningae, etc. etc. art. 15.* — In  
Constitutionis criminalis, anno 1532 in Germania sanctitae, exordio  
similem titulorum suorum ordinem servavit Carolus V et ab *Impera-toris* titulo initium sumens ultimo loco se dicit: *Herr in Friess-land, auf der windischen Mark, zu Mecheln* etc. Notandum  
etiam est, partem Hollandiae quae antiquitus *West-Vriesland* dicta  
est, per longum tempus etiam, praeter Hollandiam et Zelandiam  
tanquam *Comitatus*, nomine *domini* suis designatam. Cf. *res-TEL* I. I. vol. II. p. I. pag. 344.

nes Gelriae vero mense Februarii 1675, et provincia Transisalana mense Martis ejusdem anni.

Ordines Hollandiae die 8 Febr. 1674 Provincias jure postliminii restituendas, in societatem recipiendas non esse statuerant, nisi sub conditione, ut rerum inferendarum vel evehendarum vectigalia, ab harum provinciarum Ordinibus abolirentur, aut ne res illae majori onere, quam in reliquis provinciis, afficerentur<sup>1</sup>. Haec conditio decreto Ordinum Generalium d. 20 Aprilis adoptata est, ita tamen, ut ad omnes extenderetur provincias. Cui constitutioni, quae prorsus convenit cum art. XVIII Foederis Trajectini, et quamvis hoc decreto iterata sit, numquam paruerunt socii<sup>2</sup>.

Cum Ordines Hollandiae de tribus provinciis recipiendis deliberarent, cogitaverunt de aliqua provinciae Trajectinae parte Hollandiae adjungenda; ei tamen consilio Princeps Arausiacus, cuius de hisce rebus sententia rogata erat, vehementer obstat<sup>3</sup>. Huic

<sup>1</sup> Vid. *Resolutien der Staten van Holland*, 8 Febr. pag. 46.

<sup>2</sup> Cf. hac de re p. PAULUS, *Verklaring der Unie van Utrecht*, vol. III. pag. I. sqq. ad Foed. Traj. art. XVIII, de quo etiam conferri potest trotz, *Comment. leg. fundam. Belgii Foederati*, Harlingae 1778. pag. 437. Hicce articulus jam antea controversiarum causam praebuerat.

<sup>3</sup> Principis sententia invenitur in: *Secrete Resolutien der Staten van Holland*, Vol. III. pag. 412, 413. Cf. etiam *Utrechts Placaatboek*, vol. I. pag. III. sqq. ubi legitur: «Resolutie van Heeren Staten Generael behelsende het Advies conciliatoir, » et scripta ibi humanae Principis verba: «dat het een

sententiae consequenter , dicto decreto 20 Aprilis , statutum est , ut ad Gelriae Trajectinam et Transalananam provincias omnia territoria redirent , quae antea earum imperio subjecta fuerant , ita tamen , ut summum imperium in locis in quibus provincia Hollandia munimenta construxerat , huic provinciae integrum maneret , utque provinciis Frisiae et Groninganae liceret circa Rovenam castellum ponere , cuius imperium , prouti loci Ommerschans simulac recuperaretur , apud utramque hancce provinciam foret , neque provinciis Trajectinae aut Transalanae , intra centum ab extremitate munimentorum passus , aedificare vel plantare liceret <sup>1</sup> .

seer harde saak soude wezen , die hooggemelde provintien uit de Unie te willen secluderen , om dat Godt de Heere Almachtig deselve Provintien het gesag en het gebiedt van een uitheemsch heer hadde doen proeuen , en de andere Provintien daar van genadelyk verschoont , daar de Unie wel expresselyk mede bracht , dat de Geunieerde Provintien voor des anderen conservatie goed en bloedt opsetten moesten ; dat het ook seer hardt soude wezen , de Plaatsen die voor desen onder de hooggemelde Provintien hadden behoort , haar te willen benemen , of zich toe te eygenen , alleen omdat die aan eenige van de andere Provintien niet qualyk voegen ofte dienen souden .» Male de his dicit *z*eo , *Niederl. Geschichte* , Halle 1835 vol. II. pag. 854 der Prinz von Oranien vermittelte in diesen Zwistigkeiten , »denn er hatte ein Interesse , Holland nicht übermächtig werden zu lassen .» Aequius de illo Principe , generosissimo libertatis Europaea vindice , judicavit inter exterros heeren , *Geschichte des Europ. Staatensystems* .

<sup>1</sup> »Dat de Souvereiniteyt met alle den gevolge en de aankleven van dien , niet uytgesondert , over het landt , ofte de plaatsen , op dewelke by de Provintien van Hollandt en West-

Porro Hollandiae est jus concessum, defensionis suae causa, in posterum agros, tam ad Gelriam et Trajectum quam ad ipsam pertinentes, inundandi<sup>1</sup>, et omnes quaestiones forte oborituras, ratione agrorum et regionum Trajectinarum, quibus esset in agrum Hollandicum aquarum decursus (landen, polderen, dijkgraaf- en waterschappen die over

Vrieslandt eenige forten ofte fortificatiën zyn geleydt sal blyven aan deselvē Provintie, ende dat het in de macht ende faculteyt van de Provintie van Vrieslandt ende Stadt en Landen sal staan, tot koste van deselvē Provintien te leggen een fort by het Roveen en dat de Souvereiniteyt met alle den gevolge ende aankleven van dien, niet uytgesondert, over het landt ofte de plaatsen, op dewelke het fort sal worden gelegt, mitsgaders ook over de Ommer-schans, soo haest die wederom onder de macht van den Staet sal wesen gebracht, sal komen aan de hooggemelde provintien van Vrieslandt en Stadt en Landen, mits dat het repareren . . . . sal komen tot laste van deselvē Provintien respective ende buytē lasten van den Staet; en dat ook de voorz. Souvereiniteyt alleen sal gaan over 'tgunt besloten is in de wallen grachten en fortificatiën van de voorz. forten, sonder eenige verdere extensie op, ofte over het platte landt om deselvē forten gelegen, etc. Non erit necessarium monere, vocem *WestVriesland* non ad eam provinciam pertinere, quae *Frisia* hodie adhuc dicitur, et verbis *Stadt en Landen* designari provinciam *Groniganam*.

<sup>1</sup> Ejusmodi jura servitutes juris publici dicere solent scriptores. Talem servitutem etiam hodie confoederatio Germanica habere intelligitur in illis civitatibus, quae, ut Moguntia, Luxemburgum, sunt castella confoederationis. Jus vero quod anno 1674 e. g. in territorio Trajectino Hollandiae concessum est circa castella ibi constituta, ut ex verbis in nota superiori laudatis patet, aliis indolis erat.

Holland uitwaterende zijn), et pertinentes ad jus aggerum aquarumque (Dijk- en Heemregt), ad aggerum aquarumque Curatores (Dijkgraaf en Heemraden), iis autem deficientibus vel partibus ab eorum judicio provocantibus, ad Curiam Hollandiae deferri placuit, sive inter Trajectinos tantum sive Trajectinos inter et Hollandos (Stichtsche en Hollandsche dorpen, polders en ingezetenen) lis fuerit orta.

Anno 1673 agger, Hinderdam dictus et ad flumen Vechtae in provincia Trajectina quondam positus, amotus erat (quam rem Amstelodamenses rogarerant atque Princeps Arausiacus valde urserat, Ordinibus demonstrando, aquam ex flumine Lecca aliter se evolvere non posse), atque in hujus aggeris locum cataracta Muidae erat aedificata<sup>1</sup>. Hic igitur agger, ut in perpetuum amotus permaneret, itidem nunc in Ordinum Generalium decreto constitutum est.

Nec non circa loca quaedam ad Gelriam et Trajectum pertinentia, ad quorum conservationem in bello nuperrime finito, nonnulla in Hollandia sedem habentia collegia, pecuniam annumeraverant, decretum est, ut ea in potestatem illarum provinciarum non redirent, antequam debita haec soluta essent.

Arripuit etiam Hollandia hanc occasionem, ut

<sup>1</sup> Cf. WAGENAAR, vol. XIV. pag. 324 in not.

sibi firmaret liberum in Sinu Austrino et in Aqua Nigra piscatum; cui Hollandorum desiderio satisfactum, et res praeter alias tanquam admissionis conditio inserta est<sup>1</sup>. Gelriae Ordines anno 1670 constituerant, nullis extraneis (quo nomine omnes, qui non in Principatu Gelriae vel in Comitatu Zutphaniae habitabant, designabantur) licere, piscandi causa, intra spatium definitum ad littora appropinquare, proposita in eos, qui secus facerent, poena publicationis navium et retium, et multa 300 florenorum. Licet vero decreto jam saepius laudato etiam disertis verbis cautum esset, ne cives Hollandiae molestarentur vel turbarentur in possessione piscatus in Sinu Austrino, Gelriae tamen Ordines anno 1677 literas miserunt Hollandiae Ordinibus et Gubernatori, quibus jura exponerent et privilegia, quae circa hanc rem sibi competere opinabantur, et oppida Harderovicum atque Elburgum in assumti juris exercitio permanserunt<sup>2</sup>.

Stipulabantur porro Provinciae Hollandia, Zeelandia, Frisia et Groninga, ne provinciis Gelriae, Trajectinae et Transsalanae, unquam liceret se oppnere iis, quae illae provinciae aut Senatus Republicae dictus *Raad van Staten*<sup>3</sup>, utilia judicarent

<sup>1</sup> Cf. PESTEL, op. vol. I. pag. 221. Ibi inter alia mentio fit conventionis Transsalanae inter et Hollandos initae anno 1559. Cf. etiam Scriptores ibi laudati RONTANUS, SYLVIUS et alii.

<sup>2</sup> Cf. SCHRASSERT, *Beschrijving van Harderwijk*, pag. 25.

<sup>3</sup> In antiquis documentis modo *Raad van State* modo

ad excavandos Rheni inferioris et Isalae alveos, sive ad inundandas paludes in provincia Transsalana sitas, quo magis idonea redderentur flumina et paludes ad hostium incursiones impediendas; utque quotannis quidam ex Senatu illo delegati, quatuor provinciarum nomine, mitterentur, qui rem examinarent.

Constitutum est itidem ut, post finitum bellum, septem provinciae omnes accuratum rei suae aerariae statum exhiberent, ut ex eo posset definiri, quid cuivis, ad onera universitatis sustinenda, contribuendum esset. A multis jam inde annis, plurimae provinciae de iniuritate rationis collationum singulis provinciis imperatarum conquestae fuerant. Sequebantur scilicet Socii, in conferendis pecuniis, regulam quandam annis 1616 et 1634 definitam. Rogantibus nonnullis provinciis, cum de trium provinciarum in foedus restitutione ageretur, nova conferendorum divisio instituenda esse videbatur. Quod tamen decretum exitu carebat<sup>1</sup>. Anno 1792 die 7 Sept. demum, novo decreto interposito, mutatio rationis collationum locum obtinuit<sup>2</sup>.

*Raad van Staten* legitur. Hujus Collegii historiam nuper scripsit E. C. J. BERTLING, *de Senatorio Reipublicae Batavae et Regni Nederlandici concilio*, Gron. 1838.

<sup>1</sup> Cf. PESTEL, *Comm. de Republica Batava*, pag. 435. § 381. ed. anni 1782.

<sup>2</sup> Vid. *Nederlandsche Jaarboeken* ad annum 1792. Sept. Vol. XXVII. p. 2. pag. 1101 sqq.

Ratione eorum, quae Gelria, Trajectina et Transisalana Provinciae Collegiis Admiralitatum quae dicebantur, in Hollandia et Zelandia constitutis, adhuc ex tempore, bello nuperrime gesto anteriore, debebant, decretum est, Principi Arausiaco committendam esse definitionem temporis, intra quod ea aequitati convenienter essent solvenda.

Eodem hoc decreto provinciae Groninganae alter, quem appetivit, in Senatu Reipublicae locus concedebatur; Gelriae vero, quae antea duas in hoc collegio sedes occupaverat, una tantum relinquebatur. Ut enim Ordines Groningani se obligaverant, ad Frisiam adjuvandam in petenda praerogativa, qua ea provinciam Trajectinam praecederet, ita Frisiae Ordines se Groninganos adjuturos esse promiserant, in petenda altera in Reipublicae Senatu sede; nec his conatibus eventus defuit.

De juris sui arbitaria ademtione vero Gelriae Ordines saepe questi sunt, quemadmodum patet ex actis comitiorum hujus provinciae<sup>1</sup>. Atque pluribus vicibus ii missis literis jus suum Ordinibus Generalibus et Gubernatori exposuerunt. Quae tamen conamina nullum habuerunt effectum ante annum 1792<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> Cf. *Landdagsrecessen des Furstendoms Gelre ende Graefschafts Zutphen* m.s. ad 6 Febr. 1677. 29 April. 1687. 13 Maii 1687. 1 Maii 1705.

<sup>2</sup> In PESTELII *Comment.* edit. I pag. 424 legitur adhuc: primus in eo consilio est summus terra marique imperator, senatores duodecim legant socii, tres Hollandi, binos Zelandi, Frisia, Groninga, unam Geldri, item Trajectini et Transisalani.

Hoc enim anno, cum Ordines Gelriae denuo opportunitatem deliberationum de ratione collationum arripuerint ad petitionem suam reiterandam, et pecunia ab hac provincia conferenda maximopere augeretur, tandem decreto 7 Septembris, quo nova conferendorum divisio definita est, Socii huic provinciae concesserunt, duos iterum legatos in Republicae Senatum mittere<sup>1</sup>.

In fine Ordinum Generalium decreti 20 Aprilis, quod sententiae, conciliandi animo propositae a Principe Arausiaco delegatisque quibusdam Ordinum

<sup>1</sup> Vid. *Resolutien van de Hoog Mog. Heeren Staten Generaal der Vereenigde Nederlanden tot regeling der Quota's, van 't Krygswezen en ook 't Zee-wezen, d. 7 Sept. 1792* in opere: *Nederlandsche Jaarboeken*, 1792. vol. XXVII. p. 2. pag. 110I—12II. ubi legitur pag. 1106: «Dat bij deze gelegenheid »van de verandering der Quota's van de Provincien zal worden »gedefereert aan de instantien van de Provincie van Gelderland, »om wederom, gelyk voorheen, in den Raad van Staten twee »Gecommitteerdens te hebben, en dat derhalven, wanner die »Provincie aan Hun Hoog Mogende zal voorslaan eenen tweeden »Gecommitteerde in gemelde Raad, dezelve daartoe zal worden »gecommiteerd.» Legitur tamen adhuc, in *Viri Cons. JOH. VAN DER LINDEN* opere: *Verhandeling over de judiciele Practyceq; of form van procederen*, 2. uitg. Leiden 1794 I. D. pag. 14: «de »eerste persoon van de geenen die dezen Raad uitmaken, is de »Stadhouder van de Provintien, vervolgens zyn er twaalf raden, »een wegens Gelderland, drie wegens Holland, enz.» *Vir. Cons. BERTLING* in dissert. supra laud. pag. 32. ait: *ab anno 1672 usque ad rerum conversionem anno 1795 nullam mutationem in Senatus ordinatione obtinuisse. Senatum hoc collegium appellat auctoritate GROTI aliorumque.*

Generalium ex quatuor provinciis congregatorum, conveniebat, Principi Arausiaco ea in tres reliquas provincias potestas mandata est, de qua jam superius ipsius decreti verbis allegatis diximus<sup>1</sup>.

Tribus hisce provinciis vero in tristissima conditione versantibus, per exterorum dominationem ad inopiam sere redactis<sup>2</sup>, nil melius supererat, quam propositam in foedus restitutionem acceptare sub iis conditionibus, quae a quatuor ceteris provinciis praescriptae erant. Postquam tamen Ordines Trajectini, se foedus, anno 1579 Trajecti ictum, conservaturos esse, die 27 Aprilis 1674 coram Principe Arausiaco jurassent, et legati Ordinum Generalium iis die 28 Aprilis decretum, quo admissionis conditiones descriptae erant, obtulissent ejusque acceptiōnem commendassent, tanti momenti hae conditiones illis Ordinibus esse videbantur, ut ab Ordinum Generalium legatis brevis temporis spatium ad deliberandum peterent; sed iis responsum est: «dat in »het contenue van de voorschreve resolutie conci-» liatoir, en de articulen daar bij gementioneerd »geen veranderinge ofte moderatie zoude vallen.» Ordines igitur quodammodo coactos se senserunt ad decreti ab Ordinibus Generalibus die 20 Aprilis propositi articulos acceptandos, idque se facturos,

<sup>1</sup> Vid. pag. 27 et 28.

<sup>2</sup> Cf. literae a Principe Arausiaco et Ordinum Generalium delegatis Frisiae Ordinibus mense Martii missae quae inveniuntur in opere: *Tweejarige Geschiedenis*, pag. 6. sqq.

seque omni ex parte illi decreto obtemperaturos esse, die 30 Aprilis declaraverunt. Simul ne in posterum hujus rei causa in crimen incuriae incidenter, apologiam conscripserunt, qua expositae sunt causae quibus moti et quasi coacti decretum illud accepissent.<sup>1</sup>

Gelriae Ordines mense Februarii 1675 itidem hoc decretum acceptarunt, Principis consilio parentes<sup>2</sup>. Postea saepissime de conditionibus, quibus in foederis societatem denuo restituti erant, questi sunt, in primis de eo, quod altera iis in Republicae Senatu sedes ademta erat.

Decretum Ordinum Generalium, in quo disputatio nostra versatur, Ordinibus Transisalanis oblatum, ratum habuerunt ordini equestri adscripti, spe moti, Ordines Hollandiae non recusaturos esse de nonnullis in decreto ambiguis mox benigne agere. Trium urbium rem publicam regentes legatos suos

<sup>1</sup> Cf. N. BONDT in opere P. PAULI, *Verklaring der Unie van Utrecht vol I.* pag. 145 — 169. *Byvoegsel van stukken*, quae documenta omnia ad hanc rem pertinent.

<sup>2</sup> Cf. *Landdagsrecessen des Furstendoms Gelre ende Graafschaps Zutphen* m. s. ad diem 12 Febr. 1675, ubi legitur: « dat syn Hoogheyt van advys was dat het voorsz. advys conciliatoir pro ut jacet behoorde aangenomen te worden, ende dat wanneer die gecommitteerde van dese Provincie wederom sessie hadden in de vergaderinge van de Generlt. veel bequamer omrent die ingredienten daarin vervat, onderling geconcerteert soude kunnen worden, 't weleke occasie gegeven heeft om meer gemelde advys conciliatoir alsoo aantenemen ende te aggregeren. »

jusserant id similiter ratum habere. Qui vero Zwolae civitatem regebant, ii per legatos suos declaraverunt: «dat zij hun Ed. Mog. verzochten hunne «toestemming niet eerder uit de handen te geven, «dan nadat zij vooraf werk gedaan hadden bij «haar Hoog Mog. en Zijne Hoogheid, dat eenige «pointen verzagt wierden.» In Ordinum concilio tamen delegatorum consensu sub hac conditione accipere recusabatur; quapropter Zwolla ceterorum urbium exemplum sequi cogebatur. Hujus tamen rei mentio facta est in libro actorum municipalium: «om ten allen tijden tot décharge van «de tegenwoordige regeringe by de posteriteit te «mogen strekken<sup>1.</sup>»

<sup>1</sup> Cf. VAN HATTUM, *Geschiedenissen der stad Zwolle*, 1773 Vol. IV. pag. 87, 88, 89. Isdem fere temporibus lege, quam *sacratam* dicit PESTEL in *Comm.* ed. I § 313, constitutum est in Provincia Transsalana, penes quos esset majestas imperii in eadem regione.

## PARS ALTERA.

### Caput Primum.

DE VINCULO QUO FOEDERATAE PROVINCIAE INTER SE CON-  
JUNCTAE ERANT AD UNIUS REIPUBLICAE UNIVERSITATEM.

Antequam inquiramus, quo jure Provinciae Gelriae, Trajectina et Transalana, post hostium occupationem annis 1672, 1673 et 1674 iterum in pristinam cum reliquis quatuor provinciis necessitudinem restitui debuissent, et quo modo restitutae sint, hanc abs re erit, paucis exponere rationem, qua sibi invicem obstrictae erant septem provinciae inde ab eo tempore, quo liberam rempublicam constituere intelligebantur.

Quasi fortuitam fuisse Reipublicae constitutionem, nobis ejus originem considerantibus statim appareat. Effectus enim ea fuit actorum ad quae Hispanorum tyrannis majores nostros coegerit, non vero finis, quem hisce actis illi sibi propositum habuerunt. Nam nec pacem Gandavensem ineuntes, nec foedus Trajectinum facientes, nec Philippo II harum regionum imperium abrogantes de mutanda regiminis forma aliave constituenda cogitaverunt; quae omnia tamen fundamenta, quibus septem foederatarum provinciarum Respublica per duo fere secula superstructa erat, exstiterunt. Imo ea pro parte adhuc hodie, inter Juris Publici nostri fontes habentur ex ipsa legis, quae apud nos de imperio lata est, sanctione<sup>1</sup>.

Foedere Gandavensi die 9 Nov. 1576 inito, Ordines provinciarum Belgicarum invicem se obligaverant ad id agendum, ut conjunctis viribus Hispanorum copiac discedere cogerentur, et uniuscujusque privilegia intacta servarentur. Majores nostros se obedientiae imperio legitimo debitae substrahere noluisse, luce clarus patet, cum omnes,

---

<sup>1</sup> *Grondwet voor het Koningrijk der Nederlanden*, art. 203.  
Het dragen der wapenen tot handhaving der onafhankelijkheid van den Staat en ter beveiliging van deszelfs grondgebied blijft, overeenkomstig 's lands oude gewoonte, den geest van de pacificatie van Gent, en de grondbeginselen bij de Unie van Utrecht aangenomen, een der eerste pligten van alle ingezetenen van het Rijk.

qui huic societati se adjungebant, jurare deberent, se fidem Regi esse servatuos<sup>1</sup>. Consistorium principis, quod sicut Reipublicae consilium posterioris aetatis, *Raad van State* appellabatur, et in quod post subitam Requesentis mortem harum regionum administratio delata erat, declaravit nomine regis Philippi: «dat dit verdrag niet droeg tegens de »hoogheid der Mayesteyt<sup>2</sup>,» atque Johannes Austriacus Gubernator Generalis hoc foedus posteriori tempore disertis verbis confirmavit<sup>3</sup>. Dissensione inter socios exorta, provinciae quaedam metuentes, ne foedus Gandavense parum eas ab Hispanorum tyrannide tueretur, arctiori vinculo se invicem adstringendi consilium, auctore Principe Arausiaco, ceperunt, unde exstitit foedus Trajectinum die 23 Janu. 1579 initum. Nec magis hoc foedere, quam foedere Gandavensi, novam regiminis formam constituere vel Philippi imperio se substrahere, se proposuerunt socii, sed ad hunc tantum finem novam societatem inierunt, ut antiquam libertatem juraque et privilegia avita defenserent. Se a foedere Gandavensi discedere nolle, addita peculiari declaratione, expresse caverunt; imo ne id quidem vinculum dissolvere in animo erat, quod diversas provincias adhuc Imperio Romano-Germanico obli-

<sup>1</sup> Cf. BOR, *Nederlandsche Oorlogen*, Vol. II. pag. 193.

<sup>2</sup> Cf. BOR I. I. pag. 208. WAGENAAR, Vol. VII. pag. 131.

<sup>3</sup> Cf. *Utrechts Placaatboek*, Vol. I pag. 45.

gare videbatur<sup>1</sup>. Cum denique spes, ut aliquando in Regis gratiam acquis conditionibus redirent, paullatim evanescere videretur, eamque prorsus fefelleret decretum, quod Principem Arausiacum proscribebat, simulque declarabat, omnes qui eum non relinquenter, tanquam seditiosos punitum iri, provinciae foedere Trajectino consociatae Philip-pum II, ut harum regionum dominum, ejurandi consilium die 26 Julii anni 1581 cuperunt. Quo facto, summum imperium quod Philippus ut Dux, Comes, Dominusve in varias provincias exercuerat, in harum provinciarum Ordines cessit. Majores tamen, cum Regi Hispaniae imperium abrogarent, consilium non habuisse, se unius dominationi sub-strahendi, ex eo patet, quod harum regionum summum imperium Duci Alenzoio sub lege com-

---

<sup>1</sup> Vid. BYNKERSHOEK, *Quaestiones Juris Publici*, Vol. II. c. I. KLUIT, *Historie der Hollandsche Staatsregering*, Vol. I. pag. 182 sqq. (HULTMAN), *Geschied- en Staatkundig onderzoek over den tijd, wanneer Philips de tweede, Koning van Spanje, opgehouden heeft Heer der Vereenigde Nederlanden te zijn*, Arnhem, 1781. Conf. etiam HEERMAN, *de solutione vinculi quod olim fuit inter S. R. Imperium et Foederati Belgii Respu-blicas*, Lugd. Bat. 1774. § 51. pag. 93. et ipsa foederis verba: «sonder in allen gevallen hen by deezen te willen ontrekken »van ofte uyt den II. Roomschen Ryke.» Hac in re Regi Phili-po magis quam provinciis Belgicis illegitimum innovandi studium imputari poterat, a quo nec Carolus V alienus erat, licet is, Augustana transactione anno 1548 inita, arctioris provinciarum Belgicarum cum Imperio Germanico conjunctionis speciem piae se ferret.

missoria, quam vocant, detulerunt. Cum hic paulo post perfidia sua provincias fide exsolvit, Principi Arausiaco tunc Comitis potestatem Hollandiae Zeelandiaeque Ordines, habitis ea de re gravissimis deliberationibus, mandare decreverunt; eosque verisimiliter ceterae secutae essent provinciae, nisi scelestia sicarii manu hic Princeps periisset.

Guilielmo I mortuo, Ordines Generales summum in hasce provincias imperium, primum Henrico III Franciae Regi, atque deinde Elisabethae Angliae Reginae obtulerunt. Ab utraque parte vero id recusat, cuius rei causa in ipsa utriusque regni politica necessitudine quaerenda esse videtur. Petentibus ex Angliae Regina Ordinibus, ut hisce regionibus in tam ambigua conditione versantibus auxiliaretur, Leicestrius cum nonnullis copiis hoc missus est, sub titulo Gubernatoris Generalis; sed cum in eum Socii Trajectini amplissimam potestatem deferrent, Elisabetha Ordinibus et Leicestrio hoc sibi displicere significavit. Post duos autem regiminis sui annos, tantum ille in se odium arbitria sua agendi ratione contraxerat, ut a sua dignitate desistere cogeretur.

Post varias vicissitudines, quas, quod ad summum imperium attinet, hae regiones inde ab ejus loco Philippo, usque ad Leicestrii decessum subiebunt, earum regiminis forma fere eadem, usque ad mutatam anno 1795 rerum conditionem mansit.

Num summum in diversis provinciis imperium

penes eartum Ordines esset, primis Reipublicae temporibus nonnumquam in dubium vocatum est<sup>1</sup>. GROTIUS multique alii post eum scriptores, imprimis KLUITIUS<sup>2</sup>, summum imperium penes Provinciae Ordines esse, luculenter demonstrarunt, et posteriori tempore rem ut extra omnem dubitationem positam considerabant diversarum provinciarum Ordines. Ferebant scilicet illi leges et edicta proponebant, atque quae in diversis provinciis constitutae erant jurisdicundi causa curiae supremae, ita ut ab iis nulla daretur provocatio, earum judices jusjurandum praestabant coram provinciae Ordinibus. Penes Ordines, aut vi mandati et nomine Ordinum penes Gubernatores, jus erat gratiae concedendae. Hi Ordines etiam tributa imponebant, impensasque Provinciae ordinabant. Ut uno verbo dicam, omnia, ad essentiam summi imperii pertinentia, eorum arbitrio erant commissa, nisi exercitium ejus potestatis vel ipso foedere Trajectino, vel posterioribus pactis conventis, esset circumscriptum<sup>3</sup>.

<sup>1</sup> Vid. WAGENAAR, Vol. VII. pag. 379, Conf. etiam NOR. Vol. II. pag. 921, et laudata ibi declaratio quam anno 1587 ad Ordines misit THOMAS WILKES.

<sup>2</sup> Historie der Hollandsche Staatsregering, pluribus locis, e. gr. Vol. III. pag. 206, sqq. Vid. etiam GROTIUS in *Apologia Cap. I.* et Auctor anonymous (PIETER DE LA COURT), Public Gebedt, Vol. I. Cap. 4.

<sup>3</sup> Cf. HEERKENS Spec. inaug. de Ordinibus Provincialibus, Gron. 1830.

Foedus Trajectinum , quod ut pacificationem , quam vocant , Gandavensem , praecipue ad defensanda privilegia et libertatem inierunt provinciae , fere unicum post Philippi II ejurationem fuit juris vinculum quo conjungebantur , quia aliae ab aliis regiminis forma summopere discrepantes , sub potestate Caroli V et Philippi II uni quidem imperanti subjectae erant , unius tamen imperii communitate proprie non continebantur , et commune , quod quondam provincias omnes Imperio Germanico obstrinxerat imperii vinculum , fere solutum dici poterat transactione Augustana anno 1548 inita<sup>1</sup>. Postquam pace Monasterensi 30 Janu. 1648

<sup>1</sup> Imprimis eo , quod provinciae Belgicae ab imperii *legibus* et *judiciis* solatae declarabantur , quod Imperator ceteroquin omni tempore locum habuisse contra veritatem in eo documento contendit , sicut etiam minus vere dictum est ab eo : »Mens nostra nunquam fuit , rem ullam S. R. Imperio nationis Germanicae adimere , at potius id ipsum augere atque amplificare .» Ceterum ipsa hac transactione Carolus V Provinciarum Belgicarum obligationem contribuendi ad *onera* Imperii et servandi legem *Landfriede* appellatam agnoverat , atque stipulatus erat , eorum principes in posterum semper convocandos esse : »ad omnes conventus et *Comitia Imperialia* , ut cum aliis statibus compareant aut deputatos suos mittant .» Erat autem in Germania hoc semper saltem tanquam praeceptum Juris Publici territorialis indubitatum , quemcumque pro adscripto Ordinibus provincialibus qui *Landstände* vocabantur se gerentem , eo ipso profiteri , se esse in tali provincia superioritati territoriali , quae vocabatur , subjectum , sive *Landesunterthan* . Similiter nemo Ordinum Imperii socius esse posse intelligebatur , nisi esset

facta Philippus IV Hispaniae Rex Socios Trajectinos declaraverat liberos ab omni jure, quod

subjectus imperii potestati, quae *Reichshoheit* dicebatur, oppositione ejus, quam *Landeshoheit* vocabant. Universe monendum est, vinculum quod antiquitus provincias Belgicas eamque principes obstrinxerat Imperio Germanico, non unice *feudale* verum etiam *imperii* vinculum fuisse, et hinc scriptores, qui, velut *VAN LOON*, *VAN MIERIS* et alii, in hujus vinculi naturam inquirentes, »*van Hollands gewezen leenroerigheid aan 't Rijk*« locuti sunt, nonnisi partem illius quaestionis attigisse. Melius ejus quaestionis naturam perspectam habuerunt *KLUIT* atque *MEERMAN* l. c. Poterant principes et Imperii Germanici partem aliquam possidentes Imperii *subditi* et non ejus *vasalli* esse; contra habuit Imperium Germanicum diversis temporibus *vasallos*, qui ejus *subditi* non erant. Alia res erat *Reichshoheit*, alia *Lehenshoheit*, quamquam saepissime utraque conjuncta erat ratione ejusdem territorii vel principis. Ita etiam *KLÜBER*, *Juris Publici Germanici* quandam facile princeps, in opere: *Einleitung zu einem neuen Lehrbegriff des Deutschen Staatsrechts*, Erlangen 1803. Append. § 4. de *Italiae regno* monuit: »das Königreich Italien stand mit dem Deutschen Reich in beständiger, wiewohl ungleicher Verbindung. Ihrem rechtlichen Verhältniss nach, beschränkte sich diese nicht auf bloße Lehenspflicht weder in älterer noch neuerer Zeit.« Similia juris erant ratione *regni Arelatensis*, de quo idem *JCTUS KLÜBER* in opere laud. § 62. monuit: »Als Reste waren bis auf die neueren Zeiten geblieben das Herzogthum Savoyen, die gefürstete Grafschaft Mümpelgard, das Bisthum Basel, e. q. s.« Hunc antiquum regionum Burgundicarum cum Imperio Germanico nexum nec satis respexit *Vir Nobil.* p. *DAL POZZO*, in opere alias notatu dignissimo: *Essai sur les anciennes Assemblées nationales de la Savoie*, Paris. 1829. Accuratus nuper in antiquam regionum Burgundicarum juris conditionem inquisiverunt nonnulli scriptores Helvetici et Francici, quorum scripta judicio

in ipsos Hispaniae Reges antea habuerant, atque ideo praecipua cessaverat causa, ob quam foedus Trajectinum initum fuerat, Socii tamen in concilio majori anni 1651 decreverunt, foedus adhuc permanere et unumquemque in posterum adhuc, sicut antea, eo esse obligatum. Stricto jure igitur ne tunc quidem omnino solutum est vinculum quod foederatas provincias obligaverat imperio Germanico, cuius partem se in posterum quoque facere velle Socii anno 1579 diserte declaraverunt<sup>1</sup>.

Liceat autem nobis hoc loco praecipuas in memoriam revocare Trajectini foederis constitutiones.

Ante omnia voluerunt socii, Provincias, qui foedus inierunt, ita in perpetuum conjunctas esse debere, ut quasi unam tantum provinciam effice-

---

suo submisit Vir CL. MITTERMAIER in: *Kritische Zeitschrift*, Vol. IX. Heidelb. 1839, pag. 79. Notatu dignum etiam est, nuper in Franciae parte, quae quondam regni Burgundici pars usque ad hoc fere saeculum ad Duces Wurtemburgenses pertinebat nomine comitatus *Montbéliard* sive *Mümpelgard*, causam judicatam esse, in qua antiquarum legum Germanicarum et nexus ejus regionis cum Germania ratio habenda erat. Conf. *Consultation donnée par M. M. MICHAELIS et REYSCHER, professeurs à l'université de Tübingen dans le procès entre la régie des domaines et le Sr. Grandgirard*. Besançon, 1838.

<sup>1</sup> Cf. de hac re PESTEL I. I. § 22 sqq. et KLÜBER, op. land. § 61, pag. 96. In § 60 pag. 94 sqq. monet, Belgium Austriacum usque fere ad pacem Lunevillensem pro Germaniae parte, circuli Burgundici nomine, anno 1512 orto, habitum fuisse, et Austriae semper, vi transactionis Augustanae anni 1548, harum regionum causa agnovisse «die *Lehnsherrlichkeit* und eine modifizierte Oberhoheit des Deutschen Reichs.»

rent, salvis tamen uniuscujusque juribus et privilegiis<sup>1</sup>. Tum constitutum est, cuivis sociorum cui vis illata esset ab exteris, auxilium a reliquis omnibus praestari debere pro rei necessitate, causa ab universis sociis cognita<sup>2</sup>. De iis, quae ad totius confoederationis utilitatem pertinerent, statui posse videbatur plurium suffragiis; ad decreta tamen de pace, de induciis, de bello aliis populis inferendo et de tributorum communium collatione, concordem omnium sententiam requiri placuit<sup>3</sup>. Nulli provinciae licebat sejunctim ab aliis foedera cum exteris inire<sup>4</sup>. Ceterum, exceptis rebus singulis, nominatim re monetaria, cuique provinciae rerum suarum internarum administratio manebat<sup>5</sup>. Si quae de peculiaribus singularum juribus et privilegiis orirentur controversiae, eas coram judice ordinario vel arbitris vel amica transactione distrahendas esse, orta vero graviori inter plures vel omnes provincias discordia, vel ad reliquas provincias vel ad Gubernatores rem deferendam esse, decretum est.

Gubernatoribus etiam committenda esse videbatur decisio, cum, in casibus in quibus ad gerenda universitatis negotia communi consensu agendum erat,

<sup>1</sup> Vid. Art. I Foederis Trajectinae.

<sup>2</sup> Vid. Art. III.

<sup>3</sup> Vid. Art. IX. Cf. etiam Art. XIX et XXI.

<sup>4</sup> Vid. Art. X.

<sup>5</sup> Vid. Art. XII coll. cum Art. I.

vel etiam de foederis praescriptionibus interpretan-  
dis, convenire inter Socios non posset<sup>1</sup>. Trajecti  
ad Rhenum conventus Sociorum in obventuris re-  
bus difficultioribus et extraordinariis agendos esse,  
itidem peculiari dispositione verbis non plane dilu-  
cidis scripta<sup>2</sup>, cautum est. Haec tamen dispositio  
causam praebuisse videtur consilii legatorum ex  
diversis provinciis post foedus initum instituti, cui  
cura negotiorum ad omnes simul Socios pertinen-  
tium commissa est, et quod nomine *Raad der*  
*nadere Unie* Trajecti sedem habebat<sup>3</sup>. Cum hoc

<sup>1</sup> Vid. Art. I, IX, XVI, XXI.

<sup>2</sup> Art. XIX. »Item omme jegens alle opkomende saaken ende  
»swaarigheden te voorzien sullen de Bondtgenoten gehouden  
»wezen op de beschryvinge van den geene die daartoe geau-  
»thoriseert sullen zijn, binnen Utrecht te compareren ... omme  
»op de voorsz. saaken ende swaarigheden by gemein advys ende  
»consent ofte by de meeste stemmen in manieren voorsz. gede-  
»libereert en geresloveert te worden.«

<sup>3</sup> Cf. MEYER, *Institutions Judiciaires*, Vol. IV. pag. 143, ubi  
dicitur: »la confédération avait cru nécessaire de former un  
»Comité central qui pût diriger les opérations communes, et ce  
»comité fut l'origine des Etats Généraux et du Conseil d'Etat.«  
Erat tamen jam antea provinciis cunctis, quas Carolus V ad uni-  
tatem unius regni conjungere studuit, anteriorum principum  
Burgundiae gentis exemplum secutus, commune concilium *Raad*  
*van State* dictum, sicut jam antea *Ordinum Generalium* con-  
ventus agebantur, ad quos eo modo, quo Carolo V regnante  
obtinuerint, convocandos, pluribus locis provocaverunt Socii  
foederis Gandavensis e. g. in art. III, V, VI. Notatu quoque  
digna sunt verba art. VIII: »ende zullen middeler tijd gene  
»Placaten nog Exploichten plaatse hebben in den voorsz. Landen  
»by den voorsz. Heere Prince geregeert, dan die gene by Zijne

consilium non satis auctoritatis haberet, ut efficaciter, quae requirebantur, peragere posset, post 18 menses dissolutum est, atque in ejus locum Senatus omnium regionum, quae fidem foedare Gandavensi promissam intactam servaverant, institutus est. Sed ob similem causam hoc consilium etiam impedatum erat, quominus cum effectu res perageret; postquam multam frustra impenderat operam ad id efficiendum, ut ipsi ab Ordinibus Generalibus potestas exsecutrix, quae dicitur hodie, mandaretur, petivit ut dissolveretur<sup>1</sup>. Guilielmo I mortuo Ordines Generales hunc Senatum sustulerunt et alium,

---

»Excellentie ende *by den Rade* Magistraten ende Offciers aldaar geapprobeerd, ende gedecerneert, sonder prejudicie voor den toekomenden tyden van den resorte *van den groten Rade van Zijne Majesteit.*» Cum autem Socii Trajectini se foedus Gandavense servaturos esse declaraverant, non poterant ii statim talia collegia instituere, quae, quasi novae civitatis fundamenta, eos sejunxissent a reliquarum regionum universitate. Eo demum tempore, quo magis verisimile videbatur, foedus Gandavense plenam executionem non obtenturum esse et administrationis quondam omnibus regionibus Belgicis communis vincula non restitutum iri, debuerunt quasi sua sponte in regionibus foedare Trajectino consociatis, quae paullatim ad novae Reipublicae unitatem coaluisse videbantur, illa collegia oriri ad similitudinem eorum, quae jam antiquiori aetate in majori provinciarum Belgicarum universitate obtinuerant.

<sup>1</sup> Cf. SLINGELAND, *Staatkundige geschriften*, Vol. II. pag. 132—144. BERTLING in dissert. laud. pag. 9. sqq. ea quae ad communia sociorum negotia spectabant, in historia Senatus narranda non satis distinxisse videtur ab iis quae Hollandiae peculiaria erant.

cui Princeps Mauritius praefectus et summa Reipublicae administratio mandata est, instituerunt. In quo Senatu, qui die 14 Aug 1584 nomine *Raad van State*<sup>1</sup> institutus est, constituendo, par-

<sup>1</sup> Jam superius diximus, nonnunquam legi *Raad van Staten*. Collegium, quod antea institutum erat commune omnibus regionibus quae addictae manserant foederi Gandavensi, dictum erat *Landraad*, de quo jam actum est in concilio delegatorum Ordinum Generalium m. Dec. 1579 et mense Janu. 1580, ut videri potest apud *BORRIUM*, Vol. II. pag. 151. In hoc Ordinum Generalium conventu habito Antverpiae talis consilii necessitatem Princeps Aransiacus notatu dignis verbis exposuit, quae leguntur apud *BORRIUM* Vol. II. pag. 153: »de principale en eerste faute is, dat noch gy lieden noch uwe meesters niet hebt als nog gestelt eenige vergaderinge en collegie, immers niet van Staten d' welk soude macht hebben te resloveren op 't gene is strekkende ten dienste van de generaliteit.» Alio loco item monuit: »Welk inconvenient is toekomende uit saken hierboven verhaelt, dat by Ulieden niet is gestelt geweest een *ligchaam ofte overste verzameling* den welken *de particuliere souden subject en onderdanig zijn*. Maer de waerachtige oorzaake van al dit achterdeel is onse quade resolutie. Wel is waer dat men dikmaal genoeg vergadert en lang genoeg raedslaegt, maer ter contrarien ziet men, dat men so negligent is in 't volbrengen en uitrichten van 't gene geresolveert is, als men diligent is in 't lange delibereren.» Concilia quoque quae voce *Staten-Generael vel Gedeputeerde van de Staten-Generael* in locis modo laudatis *BORRII* memorantur, Antverpiae habita, probe distinguenda sunt ab Ordinum Generalium conciliis quae e. g. Caroli V aetate omnium provinciarum Belgicarum habita sunt. Ea enim proprie tantum erant concilia regionum ex foedere Gandavensi adhuc unitarum, quarum universitas saepius in documentis illius aetatis voce *de Generale Unie*

tim Senatus, qui tempore Caroli V in hisce regionibus rerum administrationem habuit, partim consilii paulo post initum foedus Trajectinum instituti, et Senatus qui in illius locum successerat, constitutionem secuti sunt<sup>1</sup>. Cum, implorato ab Ordinibus Ge-

opponitur universitati sociorum Trajectinorum *de nadere unie dictae*. Porro ab illis Ordinum Generalium concilis, e. g. 1579, 1580 Antverpiae habitis, distinguendum est concilium Ordinum Generalium nomine, procedente tempore tamquam perpetuum collegium Reipublicae septem provinciarum institutum. Hoc enim proprie non universitatis *de generale Unie*, sed universitatis *de nadere Unie* ab initio dictae concilium erat; vos igitur *generalium Ordinum*, oppositorum Ordinibus *singularum provinciarum*, inde ab eo tempore minus amplam significationem habuit. Similiter in regno nostro hodie Ordinum Generalium concilium non amplius idem est, quod erat ante ortos motus Belgicos.

<sup>1</sup> Cf. etiam hac de re *ZOR*, et quod apud eum vol. II. pag. 456 legitur: »De Staeten Generael hebben raedsaem gevonden, dat generalyk by de Geunicerde Provintien soude een eenparige voet op de regeringe van deselve landen genomen worden, daertoe een dag beschreven is binnen Delft... alwaer eyndelyk den 18. Aug. 1584 by de Staeten van Brabant, Vlaanderen, Holland, Zeeland, Utrecht, Mechelen en Vriesland verklaerd ende geresolveerd is, dat niet tegenstaende het overlyden van Syne Princ. Excell. de voorschreve landen met malkanderen en de andere geunieerde landen souden blyven vereenigt en verplicht sulks het voor 't overlyden van Syne Princ. Excell. verplicht en vereenigt waren geweest volgende de Unie van Utrecht. En hebbende aan syn genade Grave MAURITIUS VAN NASSAU versocht verklaringe of deselve den last, als hoofd van den Raad, die ter Regeringe over Brabant, Vlaenderen Mechelen Holland Zeeland Utrecht en

neralibus Reginae Elisabethae auxilio, Leicestrius cum copiis nonnullis anno 1585 huc missus et ei sub titulo Gubernatoris Generalis administratio harum provinciarum commissa est, Senatus Reipublicae potestas multo minuta est. Cum autem Leicestrius anno 1588 dignitatem suam deposuisset, alia iterum publicae administrationis forma placuit, atque, ut ipsis publici hujus documenti verbis utar: «werd »de generale Regeeringe der voorsz. landen in saecken »de gemeene beschermenisse en de Unie derselve aan- »aangaande gestelt ter bedieninge van den Raede »van State<sup>1.</sup>» Huic collegio adscripti, neque peculiari mandati formula (*Instructie*), neque jure-jurando provinciae, cuius nomine in eo collegio sedem occupabant, adstricti erant; sed iusjurandum praestabant de officio generaliter ipsis injuncto fideliter exsequendo, ex quo omnes aequaliter ad ipsius Sociorum universitatis (*Generaliteit*) utilitatem promovendam obligati erant, nemo tantum suae provinciae, a qua missus erat, respectum habere et ejus negotia tueri poterat.

• Vriesland opgericht soude worden, soude gelieven aan te nemen. »

<sup>1</sup> Vid. *Resolutien der Staten Generael* 5. Febr. 1588 et *Placaat van 12. April 1588*. Cf. BERTLING I. I. pag. 14. sqq. et SCHOLTEN TOT GANSOYEN, *de imperii formis quae in patria nostra sive tentatae sive institutae fuerunt a conversa Republica anno 1795 ad ejus cum Francia conjunctionem*, Traj. ad Rhen. 1836 pag. 13 sqq.

Amplissima ea Senatus potestas non diu duravit. Auctis enim Reipublicae viribus et crescente ejus apud exterios existimatione, negotia etiam ad universitatem pertinentia, de quibus statuendi huic Senatui jus non esset, aucta sunt. Ordines Generales raro conveniebant, neque aliter quam necessitate cogente convocati a Senatu Reipublicae, qui res, quantum fieri posset, ipse agere malebat, quam jussa ab Ordinibus Generalibus expetere. Socii contra de multis rebus ipsi per legatos decernere maluerunt, quam earum curam committere collegio, cui Mauritius praeyerat et Senator Anglus ex foedere cum Elisabetha facto intererat, in quod praeterea nullam fere auctoritatem exercere poterant singulae provinciae. Mox igitur, saepius quam antea, convenire et anno 1593 concilium perpetuum efficere coeperunt. Omnia quoque negotia quae Reipublicae Senatui anno 1584 tradita erant, ad hoc Ordinum Generalium concilium delata sunt, cura rei militaris et aerarii sociorum communis excepta<sup>1</sup>.

---

<sup>1</sup> Cf. FESTEL, *Comment. de Rep. Bat.* ed. pr. § 363, 374. SLINGELAND, *Staatk. geschr.* Vol. II. pag. 125—282: *discours over de Constitutie der vergadering van de H. M. Heeren Staten Generaal der Vereenigde Nederlanden*, Vol. III. pag. 1—289: *Verhandeling van de instelling, instruetien en ampt van den Raad van Staate der Vereenigde Nederlanden*. Cf. etiam DEDEL, *Disp. hist. polit. de Ordinibus Generalibus Belgii*, Lugd Bat. 1823. J. VAN DER LINDEN, *Judiciele Practycq* Vol I. pag. 9 sqq. F. G. A. BEELAERTS VAN BLOKLAND, *Disp. jur. publ. con-*

In Ordinum Generalium consessu sententiam dicebant legati, missi ab Ordinibus provinciarum foedere conjunctarum. Hi communi inter se invicem lege vel jure jurando obstricti non erant, sed e mandato, quod a sua quisque provincia accipiebat, agere debebant, neque iis, in rebus majoris momenti, sine speciali consensu eorum quorum vices sustinebant, decernere licebat. Sententiae in hoc concilio provinciatim, non viritim sicuti in Senatu rogabantur; ei submittebantur omnes res ex ipso foedere natae, atque ideo omnes, quae pertinebant ad securitatem et defensionem foederatarum provinciarum atque ad vindicanda earum libertatem et jura contra omnem externam internamve vim<sup>1</sup>. Praecipue igitur ad ejus curam pertinebant omnes res externae, belli pacisque arbitrium, induciae, foedera et negotia cum peregrinis civitatibus ineunda. Belli gestio una cum Senatu Reipublicae, et quantum ea non mandata erat summo copiarum terra

---

*tinens historiam Ordin. Gener. Belgii sub Carolo V. Lugd. Bat. 1836. F. E. A. VAN KNOBBELSDORFF Disp. hist. jur. publ. continens Ord. Gen. totius Belgii historiam ab obitu Requesentii usque ad expugnationem Antverpiae 1576 - 1584, Lugd. Bat. 1835.*

<sup>1</sup> Hoc ab ipsis Ordinibus Generalibus his verbis exprimebatur: «geene andere saaken als die welke vermogens de Unie en andere delatiën, daarop bij eenparige bewilliging en overgiste, van de gezamenlijke bondgenooten gevolgt, tot de deliberatie een dispositie van de hooggem. vergadering specteeren.» Vid. SLINGELAND, op. cit. Vol. II. pag. 167. Cf. etiam VAN DER LINDEN, I. l. pag. 11 sqq.

marique Imperatori aut Collegiis quae dicebantur Admiralitatis, itidem Ordinum Generalium concilio commissa erat. Hoc porro Collegium exercebat jura summi imperii in iis regionibus quas Socii conjunctim possidebant, et denique plurium rerum cura ei postea demandata est. Ceterum in Concilii Ordinum Generalium (*Staten-Generaal*) et Senatus Republicae (*Raad van State*) institutione, quodammodo jam ex Caroli V aetate repetenda, et, orta nova quasi Republica, ad ejusdem statum peculiari modo accomodata, fere id respexit videntur majores nostri, quod in Germania imperante Maximiliano I spectatum est, cum praeter Imperii comitia *Reichstag* appellata, institueretur aliud concilium sub voce *Reichsregiment* (quod idem etiam *Reichsrath* dictum est). In opere quodam, quod seculo decimo septimo in Germania prodiit<sup>1</sup> magnamque sui famam reliquit<sup>2</sup>, plura ad hujus instituti historiam nondum satis exploratam pertinentia continentur, atque inter alia

<sup>1</sup> HIPPOLITHUS A LAPIDE, *de ratione status in imperio Germanico*, Freistadii 1647. pag. 364. sqq.

<sup>2</sup> Cf. JOH. VON NÜLLER, Op. Vol. IX. p. 83. RÜTTER, *histor. Entwicklung der heutigen Staatsverfassung des Reichs*, Göttingen 1798. Vol. II. pag. 43. KLÜBER op. supra l. aud. § 15. HUGO, *civilitische gelehrte Geschichte* § 288. Auctor illius scriptoris fusse dicitur B. M. VON CHEMNITZ, in ducatu Sleswicenci Cancellarius, qui per aliquod tempus apud Batavos militaverat. Ejus opus prima vice anno 1640 editum aliquam vim in ipsam pacis Westphaliae constitutionem habuisse dicitur.

notatu digna haec leguntur: «post *comitia*, insigne  
 »libertatis stabilimentum fuit, si modo perpetuum  
 »fuisset, *regimentum imperii*, anno 1500 institu-  
 »tum . . . ; amplissima autem, in omnium publi-  
 »corum negotiorum administratione, tam domi quam  
 »militiae ejus fuit potestas, . . . nec in consu-  
 »lendo modo, ac concludendo, sed et in *exsequendo*  
 »ea quae a toto Imperio erant decreta . . . , quin  
 »et Generalis belli dux ejus mandatis parere coactus  
 »e. q. s.» Videmus etiam ex eodem scripto, quod  
 ipsi celebratissimi historiae Juris Publici Germano-  
 rum scriptores non satis respexisse videntur, in  
 hujus consilii locum aliquo modo successisse col-  
 legium, quod *Reichshofrath* appellatum, usque ad  
 Imperii Germanici finem perduravit, atque tribus  
 collegiis, quae Maximiliani I tempore in Germania  
 extiterunt, pro parte ab eo demum instituta, sub  
 voce *Reichstag*, *Reichsregiment* et *Reichskammer-gericht*, quodammodo ad executionem perductam  
 esse doctrinam de triade politica, quod fere igno-  
 raverunt ii qui usque ad nostram aetatem de hoc  
 argumento scripserunt. Neque est, quod sciam,  
 aliquis inter scriptores nostros vel Juris vel Historiarum,  
 qui accuratius examinavit, num forte haec  
 imperii Germanici instituta aliquam vim habuerint  
 in ea, quae Carolus V in patria nostra creavit.

Missa autem hac ad propositum nostrum non  
 pertinente quaestione, pauca adhuc dicamus de  
 munere eorum, qui ex prima sua institutione sum-

mi imperantis vicem sustinentes (*Stadhouders*) et in singulis provinciis Gubernatores, libera quoque republica constituta, manserunt antiquo nomine, mutata vero potestate, quae ceteroquin in diversis provinciis summopere discrepabat. Haec dignitas, per duo temporis spatia 1650 - 1672 et 1702 - 1747, in pluribus provinciis sublata, conjunctim cum summi copiarum terra marique Imperatoris munere (*Kapitein Generaal en Admiraal*) jure hereditario a sociis anno 1747 Guilielmo IV collata est. Magna semper horum Gubernatorum auctoritas in singulis provinciis fuit et, «saepe,» ut Cl. PESTEL, in eo loco quo de *Principum Arausiacorum* juribus loquitur, animadvertisit, «Socii professi sunt tum » universi, tum singuli, rempublicam prospere » geri non posse sine *eminenti capite*, quod admi- » nistrationi imperii praesit .»

---

<sup>1</sup> *Comment. de Rep. Bat.* ed. pr. § 188. Hujus quoque munieris, si imprimis ejus originem respicimus, analogon quoddam in Germanici Imperii constitutione erat, in munere corum, qui *Vicarii Imperii* dicebantur. Sabaudiae Duces e. g. Vicariorum Imperii munere in Italia fungebantur, adhuc recentiori aetate, et adhuc in pactione qua Imperatori Germaniae summum imperium deferri solebat *Wahl-Capitulation* appellata, anno 1745 et posteriori aetate, hujus munieris mentio facta est. Cf. KLÜBER op. laud. § 6. pag. 8. sqq. Alia institutorum patriorum, imprimis in Ordinum tam Generalium quam Provincialium institutione, similitudo cum institutionibus Imperii Germanici cernitur etiam in eo, quod in Germania praeter Collegium appellatum *Reichstag* aliud exstitit *Reichsdeputation* dictum, de quo cf. EICHHORN, Deutsche Staats-und Rechtsgeschichte, ed. 4<sup>a</sup> § 533. Hocce vero

Septem igitur provinciae, quae per duo fere secula Rempublicam Foederatae Belgiae constituerunt, tot erant liberae civitates, quarum quaevis summum imperium intra suos fines possidebat, quarumque nulla alteri erat subjecta. Perpetuo tamen et firmissimo eae erant conjunctae foedare inito ad utilitatem communem, ad se invicem tuendas atque defendendas, et ut numquam dividarentur. Hanc ob causam exteris gentibus *unam tantum civitatem* efficere videbantur, et legati exteriorum populorum ad id concilium mittebantur, in quo a variis Ordinibus delegati conveniebant, sicut eandem ob causam ab Ordinibus Generalibus et eorum nomine legati ad alios populos mittebantur. Internam vero Reipublicae conditionem si quis examinaverit, is sibi persuasum habebit, unam civitatem septem provincias non magis fere constituisse, quam hoc hodie de foederis Germanici constitutione dici potest.<sup>1</sup>

---

collegium, ut ex operibus supra laudatis patet, non, sicut ille Scriptor censet, in locum collegii dicti *Reichsregiment* substitutum esse, sed in hujus locum potius collegium dictum *Reichshofrath* successisse videtur. Quicunque vero concilii, anno 1560 in Germania sub illo nomine sive sub voce *Reichsrath* instituti, constitutionem comparaverit cum eo, quod in patria nostra in comitiis Antverpiensibus anno 1579 sub voce *Landraad* institui placuit, aliquam utriusque collegii convenientiam perspectam habebit.

<sup>1</sup> Notum est, hodie inter Juris Publici Germanici scriptores summan esse controvēsiām, num foedus Germanicum et adeo

Hanc vero politicam conditionem non eam fuisse quam foederis auctores sibi proposuerant, cum *quasi unam provinciam*<sup>1</sup> efficere se velle disertis verbis dicerent, nemo negabit, qui rerum circumstantiam, qua dominante hoc foedus initum est, cognitam habuerit. Ex variis enim rebus et factis patet, Socios majorem imperii unitatem, quam unquam exstante libera Republica locum habuisse cernimus, sibi proposuisse, quamquam, ut supra diximus, neque prorsus novam civitatem consti-

---

cofoederatio Helvetica sit *ein Bundesstaat*, an vero *ein Stadtenbund*. Utramque, his nominibus designandam, consociationis formam ipsa rerum natura ab altera summopere distinguendam esse et certas utramque habere leges, ex eadem rerum natura definiendas, existimant plerique. Quam parum autem in utriusque rei indole definienda consentiant scriptores, id potissimum documento est, quod duorum scriptorum celebratissimorum alter Germaniam appellat *einen Staatenbund*, Helvetiam vero *einen Bundesstaat*, alter omnino contrarium dicit. Cf. ZACHARIÄ, *über den gegenwärtigen Zustand der Schweiz*, Heidelberg. 1834, et in Krit. Zeitschr. Vol. II, pag. 304, atque WELKER, *über Bundesverfassung und Bundesreform*, Leipzig und Stuttgart. 1834, et in WEICK, *Annalen der Geschichte und Politik* 1834, Vol. III, pag. 233. sqq.

<sup>1</sup> Provinciae appellatio singulis regionibus Belgicis adhiberi solebat inde ab ea aetate, qua earum Principes eas ad unius regni unitatem conjungendi animum habere cooperant. Cf. I. TH. A. VAN MAANEN, *de conatus principum stirpis Burgundicae ad conjungendas diversas Germaniae inferioris regiones*, Traj. ad Rhen. 1824. Cf. etiam G. W. VREEDE, *Hooge Raad van Holland, Zeeland en West-Friesland*, in: *Jaarboekje van de regterlijke magt in het Koninkrijk der Nederlanden*. Gorinchem 1839.

tuendi, neque penitus regiminis formam mutandi, neque a reliquarum provinciarum Belgicarum universitate, neque adeo ab imperio Germanico se sejungendi animum habebant<sup>1</sup>.

Diversarum provinciarum Ordines, qui in plurimis carum ex Ordine Equestri et Urbium personam sustinentibus constabant, quamcunque occasionem avide arripiebant, auctoritatem augendi in diminutionem potestatis Ordinum Generalium. Ad eorum potentiam extendendam multum valuit hoc ipsum, quod Ordinum Generalium concilia perpetua sunt facta, atque in ea translata est cura negotiorum, quae antea Senatui Reipublicae fuerant commissa. Ordinum provincialium, in primis Hollandiae vis ac potestas, tempore Johannis Wittii ad altissimum summi imperii fastigium adducta, eum habuit effectum, ut quidquid dignitatis et auctoritatis in provinciis Ordinibus Generalibus adhuc superesset, quidquid denique imperii ipsius universitatis speciem adhuc prae se ferret, ab eo inde tempore evanesceret. Si quis insuper animadverterit magnam auctoritatem, quam quaevis fere urbs, cui sententiae dicendae jus erat, quamque in singulis provinciis Ordini Equestri adscripti habuerunt, mirum ei non videbitur, historiam patriae, in qua tam exigua erat administrationis unitas, tot nobis suppeditare exempla litium et controversiarum inter

---

<sup>1</sup> Pro parte hoc docet ipsa declaratio sociorum, se quasi unam provinciam constituere velle.

provincias vel inter urbes diversas obortarum. Hu-  
jus rei respectu Vir summae prudentiae politicae  
**SLINGELAND** verissime monuit: » dat van tyd tot tyd  
» zoo nadeelige effecten uit de kwade gesteldheid  
» van de Regeering van de Republicq gevolgzt zyn,  
» dat veel eer te verwonderen is dat de Republicq  
» nog bestaat, als dat ze in groot verval is. »

... in aliis etiam dilatatio potest esse, sed illa die non est nisi  
... quae est post occupationem uniuscunquam pars terrae  
... pars territorii, sed etiam diu dominio, ut in loco, veliam  
... expedita, et quod de tempore, quod inter eum nullum  
... mutatio debet, et quod est ob, si noncum dividitur  
... pars territorii, et ibi ex parte, et in loco, et in tempore.

## Caput Secundum.

DE JURE QUO PROVINCIAE GELRIAE TRAJECTINA ET  
TRANSISALANA AB HOSTIUM OCCUPATIONE LIBERATAE  
IN ANTIQUUM FOEDUS RECEPI DEBUISSENT<sup>1</sup>.

Ea quae Reipublicae anno 1672 adversa evenerunt  
et quae maximam partem dissidiis internis, quibus  
hae provinciae miserandum in modum dividebantur,  
tribuenda erant, in prioris hujus commentationis  
parte memoravimus. Ibi etiam vidimus, quarum  
rerum concursu, quum certissimus videretur Rei-  
publicae interitus et tres provinciae ei jam uno  
quasi hostium impetu direptae essent, illa tamen

<sup>1</sup> Cf. BYNKERSHOEK, *Quaestiones Juris Publici*, Lib. I. Cap. 16.  
N. BOND'T, *Commentarii ad Unionis Ultrajectini proemium et capita tria priora*, praemissa est historia isti foederis, Traj. ad Rhen.  
1756 Pag. 73 - 91, COCK, *Specim. inaug. de jure postliminii*, Lugd.  
Bat. 1778.

servata et ab hostium occupatione liberata est. Cessaverat vix periculum, hostiumque copiae provincias occupatas nondum in totum reliquerant, cum jam illae provinciae, quae ab hostium occupatione liberae manserant, de ratione qua devictarum ab hostibus provinciarum conditio plurimum ipsis afferret commodi, cogitare coeperunt. Pro parte tantum quod spectabant, consecutae sunt.

Trium <sup>provinciarum</sup> jus, omnia jura societatis post hostium discessum recuperandi, non solum tunc temporis in dubium vocatum, sed etiam postea a quibusdam negatum est. Hanc vero quaestionem, quam in hoc capite tractare nobis proposuimus, non esse dirimendam ex antiquo postliminii jure, quod a Romanis constitutum cum hodierno gentium Europaeorum jure bellico non convenit, sed ex natura societatis inter populos liberos contractae et ex rerum atque factorum conditione dijudicandam esse, cum PESTELIO existimamus <sup>1</sup>.

<sup>1</sup> *Comment. de Republica Batava*, ed. pr. § 350. Invaluit autem tunc temporis etiam in Germania mos, Juris Publici Germanici quaestiones gravissimas ex jure Romano dijudicandi, quem morem vehementer impugnavit HIPPOLITHUS A LAPIDE, in opere laudato, ubi jam in ipsa praefatione haec leguntur: • Reipublicae administrationem si spectemus, pravum istum in Germania morem invaluisse vidimus, ut, si quis evolvendis Juris antiqui tricis et nugalibus Justiniani quinquenium in Academiis vixdum impenderit, et Doctorellus, rubra tiara redimitus, redierit in patriam, illico dignus hucusque habitus sit, Reipublicae admodum veri gubernaculis, qui remum nunquam tetigit, aut undabundum

Est enim principiis juris publici hodierni consentaneum, ut pars populi vi hostium subacta et, ope populi a quo erat divulsa, hostium potestati denuo erepta, in antiquam conditionem et pristinum consociationis vinculum restituatur, atque omnia jura recuperet, quibus ante hostilem occupationem fruebatur<sup>1</sup>. Hoc vero nititur sententia, qua uterque populorum belligerantium jus a sua parte stare putat, et adversarium pro injusto aggressore habet, ita ut omnes hostis actiones injustae, et hostilitate

mare ne per somnium quidem vidit. Quod si antiquae rei Romanæ, aut universalis historiae scriptorem per transennam forte inspexerit, et insuper Electorum numerum, officia aliaque curialia, quibus Aurea Bulla ad nauream usque referta est, enarrare sciverit, jam idem Juris Publici peritissimus, ex asse, omnibus que numeris absolutus JCtus, et vel toti Imperio gubernando par fuerit habitus. Hinc factum, ut quando de Statu Imperii et vera Status ratione dubitatio exorta fuit, illi, legum quidem antiquiorum et juris civilis scientia satis imbuti, iuris vero publici historiarum imprimis patriarum, noviorum quoque Imperii Constitutionum notitia leviter modo tincti, non tam ex iisdem Imperii Constitutionibus Germanorum historiis et notoria observantia, quam veterum legum placitis et legistarum, Bartoli, Baldi similiumque qui maximam partem peregrini, ac Status nostri imperitissimi fuerunt, commentariis litem deciderint. Hodie in Germania ex alio fonte, nec certe magis probando, omnes easque gravissimas Juris Publici controversias distrahendas esse, nonnulli scriptores politici opinantur, atque de hac quoque re nonnumquam querelas motas esse videmus. Cf. *Beiträge zum constitutionellen deutschen Staatsrecht*, 1<sup>es</sup> Heft. Barmstadt. 1833.

<sup>1</sup> Cf. PUFFENDORF, *Droit de la nature et des gens*, ed. de BARBEYRAZ Lib. VIII. C. VI. § 23.

cessante, pro nullis habendae esse intelligantur. Idem etiam inter populos liberos ad mutuam defensionem sociatos, atque in bello, quod communi auxilio geritur, quasi unam civitatem constituentes, obtinere debet, ut unus pluresve vi hostium devicti, sed ope sociorum liberati, in pristinum statum restituantur, et omnia jura recuperent<sup>1</sup>. Sed hac in re imprimis attendendum est ad id, quod a sociis, cum foedus inirent, constitutum erat, et consequenter inter eos legem facere debuit.

Nullo fere in foedere, consilium conjunctionis firmae, perpetuae, nulloque casu divellendae ad mutuam defensionem, clarius expressa est, quam in foedere Trajectino<sup>2</sup>; quod foedus, postquam de-

<sup>1</sup> Cf. GROTIUS, *de jure Belli ac Pacis*, Lib. III. C. 9. § 9.

<sup>2</sup> Vix de hodierno foedere Germanico idem dici posse videatur, quamquam etiam in ejus legibus quae *fundamentales* dicuntur, nominatum in lege altera hujus generis, dicta *Wiener-Schluss-Acte* 15. Maii 1820 Art. I. dicitur: »Der Deutsche Bund ist ein Völkerrechtlicher Verein der Deutschen Souveränen Fürsten und freien Städte, zur Bewahrung der Unabhängigkeit und Unverletzbarkeit ihrer im Bunde begriffenen Staaten, und zur Erhaltung der innern und äussern Sicherheit Deutschlands.« Art. 2: »Dieser Verein besteht in seinem Innern als eine Gemeinschaft selbstständiger unter sich unabhängiger Staaten, mit wechselseitig gleichen Vertrags-Rechten und Vertrags-Obliegenheiten, in seinen äussern Verhältnissen aber als eine in politischer Einheit verbundene Gesammtmacht.« Art. 5: »Der Bund ist als ein unauflöslicher Verein gegründet, und es kann der Austritt aus diesem Verein keinem Mitgliede desselben frei stehen.« Quod si autem Ducatus Luxemburgensis, qui per plures annos quasi

cretum esset, obsequium Philippo II renuntiare, quamvis non eo consilio percussum, fundamentum tamen Reipublicae Batavae per duo fere secula mansit.

Ex ipsis ejus verbis patet, Socios se invicem conjunxisse ad defensionem et conservationem jurium ac privilegiorum, neque solum se obstrinxisse ad jura et privilegia singulorum sociorum non violanda, sed practerea ad praestandum unicuique eorum, quorum juribus ac privilegiis aliquod periculum immineret, auxilium adversus violatores, imo vero bonorum vitaeque propriorum suorum civium periculo<sup>1</sup>.

Eorum studium, arctissimam conjunctionem efficiendi omnemque sejunctionem impediendi, quasi essent membra corporis cuiusdam individui, atque eo ipso jura illa et privilegia tutius defendendi atque conservandi, satis exprimitur his verbis: » Ende »eerst dat die voorsz. Provincien sich met den an- »deren verbynden, confedereren ende vereenyghen »sullen, gelyck sy hem verbynden confederen, en »vereenyghen mits desen ten ewyge daeghen by den »anderen te blyven, in alle forme ende manieren

---

ab hostibus occupatus tandem legitimo principi pro parte saltem restituetur, forte etiam, quod facere debuissent socii foederis Germanici, eorum armis fuisse receptas, num socii aliqua juris specie recusare potuissent, denuo istum ducatum eadem lege in suum foedus recipere, quo is in eo antea continebatur?

<sup>1</sup> Cf. Art. I. et II. *foederis Trajectini.*

»als off syluyden maer een Provincie waren , sonder  
 »dat deselve hem t'enyger tyde van de anderen  
 »sullen scheyden , laeten scheyden ofte separeren  
 »by testamente , codicille , donatie , cessie , wisse-  
 »linghe , vercopinghe , tractaeten van peys , van  
 »huywelick , noch om geen anderen oorzaeken hoe  
 »dat het gebeuren soude moegen <sup>1</sup>.»

Verba »als off syluyden maer een Provincie waeren , » de quorum intellectu quaedam jam superius retulimus , non ut quidam interpretes putarunt , de communi quodam summo imperio novo inter socios constituendo intelligenda esse , etiam ex eo patet , quod tempore quo foedus initum est , Regis imperium nondum abolitum erat <sup>2</sup>. Docent adeo cum verba foederis alia multa , tum ipsa illa , qua Socii quasi *unam provinciam* constituere se velle declaraverant , foedus contrahentes adhuc potestatem aliquam sibi superiorem adeoque principem ,

<sup>1</sup> Art. 1. *foed. Trajectinae.*

<sup>2</sup> Cf. *Public Gebedt, ofte consideratien over het nominatim bidden in de publicque kerken voor de Hooge en mindere Overheden en specialyk voor den laest overleden Heer Stadhouder* door P. H. (P. DE LA COURT) 's Gravenh. 1707, Vol. III. pag. 186. Hujus operis pag. 143 landata , etiam *bondt* l. 1. pag. 92 monet , socios minime de communicando summo imperio cogitasse , cum de Philippo Rege abdicando adeoque dominio sibi adsciscendo , separatim agerent singulae nationes. Haec autem non omnia prorsus accurate dicta videntur , neque omnia hoc loco a *bondtio* allegata argumenta aequa valent ad jus trium provinciarum defendantum.

cujus imperio se solo suo lubitu se substrahere noluerunt, agnovisse<sup>1</sup>. Ad haec accedit ratio historica, et communis usus ejusmodi foederum, tam ea quam remotiori aetate, in iis potissimum regionibus, quae ad Imperium Romano-Germanicum pertinebant. Erat autem per aliquod tempus tantum se confoederandi studium, praecepit anarchicis Imperii temporibus, in quibus singuli non poterant defendi Imperii auctoritate debilitata, ut fere nulla Germaniae pars esset, quin in aliquo ejusmodi foedere imo in pluribus simul versaretur. Ea foedera ab initio legibus imperialibus erant prohibita, mox ab Imperatoribus tolerari coeperunt, et tandem Imperatores ipsi, praecepit cum omnes simul praeter imperiale majestatem in singulis regionibus territoriale potestatem habere coepissent, singulis ejusmodi confoederationibus accesserunt<sup>2</sup>. Confoede-

<sup>1</sup> Cf. KLUIT, *Hist. der Hollandsche Staatsregering*, Vol I. pag. 182, 183. Non tamen omnia a Viro Cl. hujus rei causa allata foederis verba eandem vim probandi habent, neque omnia in quibus talis vis inest, ab eo sunt allata.

<sup>2</sup> Cf. e. g. J. CHMEL, *Regesta Chronologica Diplomatica Ruperti Regis*, Francofurti 1834. p. 205. ubi legitur documentum anni 1403, in quo Rex Rupertus loquitur de ejusmodi foedere anno 1398 auctoritate Imperii inito, in quo ipse tanquam Comes Palatinus, cum Archiepiscopis Moguntino et Trevirensi atque cum pluribus civitatibus tam liberis quam territoriali juri subjectis continebatur, foederisque quasi rector erat Comes Nassoviensis. Neque Sociorum Trajectinorum mens erat a suo foedere ipsos principes excludendi qui postea ei accederent; dicebatur

ratio urbium Germanicarum, quae Hansae nomine nota est<sup>1</sup>, confoederatio Helvetica, quae itidem ab

---

enim Art. XI: »des is overcomen, dat so verre eenige nabuy-rige Fursten, Heeren, Landen ofte Steden sich met dese voorsz. provincien begeerden te uniëren, ende hem in dese confederatien te begeven, dat si daertoe by gemeen advys ende consent van dese provincien ontsangen sullen moegen worden.» Cf. atiam Art. X.

<sup>1</sup> Cf. *Erneuerter Bund der Deutschen Hanse vom Jahr 1557* in: NIESERT, *Münstersche Urkunden Sammlung*, vol. III. pag. 491. Quam plurimae civitates Belgicae adhuc ea aetate in hoc foedere erant, foederatarumque civitatum aliae se *dem H. Römischen Reich ohn mittel zugethan*, aliae *dem Reich sunst unterwor-fich*, aliae *dem Reich nycht unterworffen*, omnesque se *zu Hand-habung gemeinen Friedens Ruhe und Eynigkeit* conjuuetas dicebant, salva obedientia ab ipsis sive imperio sive imperii principibus, sive aliis summis imperantibus praestanda. Quae tunc temporis adhuc civitates foederatae erant *dem Reich ohn mittel zugethan*, in ipso documento non exprimitur. Civitas Groninga eam qualitatem adhuc habebat anno 1505. Cf. M. DE KOCK, *de potestatis civilis Episcoporum initis*, Traj. 1838. pag. 61. In documento anni 1557 quod itidem edidit NIESERT l. l. pag. 393, Groninga refertur inter *urbes hanseaticas* eas, quae sitae erant *im Köl-nischen Quartier*. Plures urbes Westphaliae, quae jam antiquitus ad foedus hanseaticum pertinebant, insuper in alio foedere versabantur. Cf. *Literae confoederationis inter civitates Monasteriensem, Tremoniensem, Susatensem et Lippensem anni 1253*, NIESERT l. l. Dicebant hae civitates se »civitatum universitatem, constituere, et »confoederationis et unionis suac formam ir-retractabilem in perpetuum» valitaram esse. Cf. de foedere urbium Gelricarum anni 1343. IS. AN. NYHOFF, *Gedenkwaardigheden der geschiedenis van Gelderland*. Vol. II. pag. 3. et de alio hujus generis documento anni 1359 jam supra memorato, ibidem pag. 109.

initio minime eo animo erat animata , ut se ab Imperio  
sejungeret , et tandem ipsae plurium Ordinum ejus-  
dem regionis ad unum corpus consociationes <sup>1</sup> , de  
quibus tamquam in plurimis Germaniae regionibus  
paullatim ortis , jam supra locuti sumus , ex eodem  
studio explicandae sunt ; et saepissime iisdem fere  
verbis formulac harum consociationum conceptae  
erant , quibus scriptum erat foedus Trajectinum.  
Antiquiorum foederum indoles in foedere Trajectino  
etiam in eo conspicitur , quod Socii eo non exclu-  
debantur ab aliis confederationibus similibus . Hoc  
tamen illi fieri noluerunt sine reliquorum con-  
sensu . Ceterum in perpetuum se invicem obligatos  
habere voluerunt hujus foederis , ut plurium alic-  
rum inde a saeculo XI. in Germanicis regionibus  
initorum , Socii , et ita conjunctos , ut numquam se-  
parentur ; quare in foederis scriptura non solum  
invenitur Sociorum promissio , se non passuros esse  
ut dirimantur inviti » sonder dat dselve hem  
» t'enyger tyde van de anderen . . . . laten schey-  
den ofte separeren by enz , » sed practerea promis-  
sio , se numquam libera voluntate a foedere esse  
discessuros » sonder dat dselve hem t'enyger tyde  
» van de anderen sullen scheyden , enz . »

Hocce foedus adversus unumquemque hostem  
omnium et singulorum sociorum initum , hostili  
actione et irruptione atque hostis momentanea do-

<sup>1</sup> Cf. Documentum in fine notae superioris laudatum.

minatione minime dissolutum esse poterat, ita ut provinciae ab hoste derelictae vel ope sociorum liberatae, omnia jura pristina amitterent, et sociis pristinis subjicerentur aequa ac hostibus quasi jure occupationis. Hoc enim et naturae cujusvis foederis ad mutuam defensionem initi, et in primis naturae foederis Trajectini repugnat.

Porro injuria eorum, qui restitutioni trium provinciarum ab hoste occupatarum in antiqui foederis societatem anno 1674 obstabant, ex ipsis rebus et factis quoque dilucide patet. Missa accurate investigatione, quinam inter socios primam hujus belli causam praebuerint, hoc tantum observemus, illas tres provincias ab hoste devictas esse, non quod caeteris ignaviores fuissent, sed quia iis essent infeliores. Gelria et Transalania quasi propugnacula Reipublicae, semper primis hostium irruptionibus expositae erant, unde magna detrimenta saepissime capiebant. Nullibi igitur Reipublicae magis intererat rebus ad defensionem necessariis prospici. Miserrima autem earum conditio anno 1672 non tam negligentiae collegiorum, quibus earum cura a sociis commissa fuerat, quam pertinaciae adscribenda erat eorum, qui omnia consilia hac de re capienda impediebant, ne proposita sua subverterentur, et non nisi sero, periculum patriae imminens agnoscebant.

In tali rerum conditione copiae sociorum, duce principe Arausiaco, hoste appropinquante, ex

provinciis Gelriae atque Trajectina recesserunt ad provinciam Hollandiae tuendam. Quod quidem non improbandum fuisse videtur, cum non verisimile esset, fore ut exercitus tam exignus successu felici Ludovici XIV ingenti exercitui resisteret. Praeterea si hostes tunc temporis Hollandiam occupavissent, de tota Republica penitus actum fuisse. Sed eo magis postea aequitati consentaneum ducere debuisset Hollandia, non tantum saevire in provincias ejus conservandae causa derelictas.

Non tamen est silentio praetermittendum, quod juri trium provinciarum in foedus redeundi nonnunquam objectum est, eas se hosti dedisse, easque igitur a sociis derelictas et ab hostibus captas dici non posse. Sed hoc tantum aliquam veritatis speciem habet ratione provinciae Trajectinae, quae se Franciae Regi revera pactione quadam dedit; verum cum maxime animadvertendae sunt causae, quae Ordines moverunt, ut cum hoste agerent. Urbs Trajectina se contra hostem defendere minime poterat, non solum quia nec natura nec operibus munita erat, sed praecipue quia Socii copias ad eam defendendam necessarias, imo vero cohortes quibus ex aerario Urbis stipendia solvebantur, recusabant. Coacti igitur Trajectini Ordines fuerunt, ne quid gravius paterentur, legatos ad Franciae Regem mittere et pactum cum eo inire. Stipulati etiam sunt conservationem omnium suorum iurium ac privilegiorum, et hac tantum lege se

dederunt, ut Provincia Trajectina includeretur in quocunque pacto Regis Franciae cum Ordinibus Generalibus ineundo <sup>1</sup>.

In provinciis Gelriac atque Transsalana ne talis quidem deditio locum habuit; neutra earum provinciarum, ex Ordinum earum auctoritate, hosti tradita est. Earum provinciarum tantum oppida, quorum plurima non ad defensionem instructa et ab omni ope destituta erant, se hosti pactis specialibus et diversis sub conditionibus ad perniciem evitandam dederunt. Haec pacta vim cessionis, utpote quae a solis provinciae Ordinibus fieri poterat, non habuisse, dilucide patet. Provinciae igitur nullo modo illis teneri poterant; toti civitati enim imputandum non est, quod a quibusdam illius civitatis personis, privata magis quam publica auctoritate, factum debet intelligi <sup>2</sup>.

Hisce rationibus sufficienter demonstratum esse credimus, Provincias Gelriac Trajectinam et Transsalanam ab hoste liberatas, omnia jura, quorum exercitio per hostilem occupationem aliquamdiu interrupta erat, recuperare debuisse.

<sup>1</sup> Cf. *Historisch verhaal van de onwettige behandeling der Provintie en stad van Utrecht aangedaan in de jaren 1672, 73, 74, 1784*, pag. 120, 121.

<sup>2</sup> Cf. *Consideration dienende tot bewijs dat de geunieerde provincien verbonden zijn malkanderen te helpen beschermen, verlossen en herstellen met betrekking op de provincie van Overijssel*, 's Gravenh. 1674.

etiam in his, quae tunc sunt, auctoritate, ut dicunt, quod  
provincias res ipsas frumento remisit. Ita iustitia et substantia  
est, ut inter reges, non inter provincias, quoniam inter provincias  
negligitur, et non solum inter reges, sed etiam inter provincias.  
Sed etiam, ut dicitur, omnes  
sunt illi, qui in eis, quae tunc sunt, auctoritate, ut dicunt,  
negliguntur, et non solum inter reges, sed etiam inter provincias.

### Caput Tertium.

**DE INJUSTO MODO, QUO TRES PROVINCIAE IN ANTIQUUM  
FOEDUS RECEPTAE SUNT.**

Ita, sed illas, quae tunc sunt, auctoritate, ut dicunt,  
negliguntur, et non solum inter reges, sed etiam inter provincias.  
Sed etiam, ut dicitur, omnes  
sunt illi, qui in eis, quae tunc sunt, auctoritate, ut dicunt,  
negliguntur, et non solum inter reges, sed etiam inter provincias.

**E**x iis quae attulimus in superiori capite, ad pro-  
bandum, provincias Gelriae Trajectinam et Transisa-  
lanam, post hostium occupationem, ipso jure in  
societatem recipi debuisse, sine ullo dubio sequi-  
tur, auctoritatem quam sibi ceterae provinciae in  
illas arrogaverunt, jure ab iis exerceri non potui-  
sse, et modum quo tres provinciae in foedus resti-  
tutae sunt, pluribus numeris iniquum esse. Nullo  
modo enim secundum naturam foederis Trajectini  
quatuor reliquae provinciae in illas talem auctoriti-  
atem exercere potuissent, etiam si eas ab hostibus  
vi armorum recuperassent. Laesio igitur gravis a  
quatuor provinciis tribus in foedus restitutis illata  
est, tam ratione eorum jurium, quae singulis his-

ce provinciis in domestica rerum suarum administratione ex summi ad Ordines earum provinciarum pertinentis imperii notione competebant, quam ratione potestatis, quae quasi ipsius universitatis imperium a Sociis ipsis conjunctim ex foedere Trajectino exercenda erat. Quid magis rei naturae consentaneum fuisse, quam ut summum imperium harum provinciarum ab hostibus derelictarum restitutum esset iis, ad quos id ante exterorum occupationem pertinuerat. Hac autem in re summopere laesae sunt provinciae jure postliminii, ut dici solebat, restitutae. Vix enim hostes ab iis provinciis recesserant, cum jam Ordinum copiae locos ab iis derelictos occupaverunt. Ordinum delegati in illas provincias missi magistratus omnes a muneribus amoverunt, et ipsi pro tempore, quasi in regionibus jure occupationis ad quatuor provinciarum universitatem delatis, imperium suscepérunt.

Haec erat laesio summa ejus juris, quod sub voce *Souvereiniteit*, omni tempore ad Ordines singularum provinciarum delatum esse existimabatur, inde ab ea aetate, qua anteriorum principum potestas et ipsius Imperii Germanici auctoritas cessaverat. Etiamsi verum esset, quod non esse saepius demonstravimus, ipso foedere Trajectino esse quasi constitutum *summum imperium novum* et ad Ordines Generales delatum, tamen non potuissent Ordines Generales talem potestatem exercere in singulas provincias, qualem revera exercuerunt. Non enim sim-

*plicem civitatem certe, sed civitatum universitatē tantum constituere voluisse Socii Trajectini in eo casu censendi forent, et in omnibus ejusmodi consociationibus, sive cum Germaniae JCtis et Viris Politicis eas dicamus Staatenbund sive Bundesstaat, duplex summum imperium, alterum scilicet universitatis, alterum singularum civitatum foederatarum esse intelligitur; atque ut in genere illud nihil continere censemur, nisi quod in actu confoederationis concessum est expressa sanctione, ita etiam illud non impedit, quominus etiam hoc souverainetē dicatur, sicut jam quondam sub Germanico imperio demi-souverainetē appellata est principum Imperio subjectorum potestas.* In ipsa confoederatione Americana, quae *union* sicut confoederatio foedere Trajectino orta dicitur, quamquam ea *civitatem ex pluribus aliis compositam revera constituit, et summum universitatis imperium civile verum in ea constitutum est, in legibus sanciendis et in judiciis exercendis non minus quam in administratione et execuzione conspicuum, singulæ civitates foederatae utique free sovereign and independent states esse intelliguntur, atque non solum Anglia cum earum libertatem agnosceret, eas ita appellavit, verum etiam ab ipso congressu qui dicitur, eae ita nominantur, et indubitati inter Americanos juris est, inito foedere et foederatico imperio constituto illam singularum regionum libertatem sive sovereignty non esse sublatam, sed potius ad eam sin-*

gulis regionibus spondendam confoederationem initiam esse<sup>1</sup>. Imo si quis contenderit, septem provinciis tam ab Imperii Germanici quam a principum potestate solutis, ad Ordines Generales transiisse eam potestatem quam *Reichshoheit* dicebant Germani, ad Ordines Provinciales vero eam quam *Landeshoheit* vocabant, ne hoc quidem posito Ordines Generales id juste facere potuissent, quod ratione trium provinciarum fecerunt<sup>2</sup>. Ceterum nullo

<sup>1</sup> »The Sovereignty of the States, which the constitution had meant to preserve and even had guaranteed». Cf. DU PONCEAU on the nature and extent of the jurisdiction of the Courts of United States, Philadelphia 1824, preface, pag. XIII. Cf. etiam GORDON, digest of the Laws of United States, Philadelphia, 1827 pag. 14. art. 127. »The sovereign powers vested in the State governments by their respective constitutions, remain unaltered and unimpaired, except so far as they are granted to the government of the United States. Americani ceteroquin in confoederatione sua ineunda cum quaererent aliquod exemplum quod imitari possent, etiam patriam nostram respexerunt, sed ipsius universitatis septem provinciarum imperium ipsis fere nullum esse videbatur, et in deliberationibus de nova constitutione habitis anno 1787 in conventu populi Pennsylvaniae, dictum est: »The United Netherlands are indeed an assemblage of societies, but this assemblage constitutes no new one, and therefore it does not correspond with the full definition of a confederate republic.» Cf. TH. M'KEAN, commentaries on the constitution of the United States of America, London 1792, pag. 28. Cf. CI. BIRNSBAUM, über Nord Amerikanische Gesetzgebung und Rechtswissenschaft, in MITTERMAIER et ZACHARIÄ, Kritische Zeitschrift, Vol. V, pag. 254. sqq.

<sup>2</sup> Est quidem etiam in Germania per legem in Comitiis Imperii anno 1803 sancitam, dictam *Reichsdeputationshauptschluss*,

tempore ex vera foederis sententia vel jure postea sive moribus sive pactionibus expressis constituto, Ordinum Generalium potestas legitima in singularem provinciarum administrationem tanta erat, quantum Imperator cum Ordinibus Imperii Germanici, ultimis adhuc Imperii temporibus, in singularem civitatum Germanicarum internam administrationem exercere jure poterat. Laesae igitur sunt tres provinciae in ipso suo internae administrationis jure. Neque minus laesae sunt in necessitudine ea, quae ipsis erat cum provinciarum universitate.

Post eam, de qua jam diximus, tribus provinciis illatam laesionem, quatuor provinciae, quae quasi summum in eas imperium sibi arrogaverant, deinceps deliberabant de ratione cum iis agendi. Ex sententia Principis Arausiaci carum restitutio in so-

---

*post pacem Lunevil isem anno 1801 initam, in multis territoriis Germanicis summum imperium, quod adhuc in iis erat constitutum, omnino sublatum et hae regiones aliis principibus indemnitatis nomine addictae sunt. Sed num hoc etiam factum sit jure, dubitari potest. Potestatis quae quondam Reichs-hoheit diebatur hodie adhuc vestigia quaedam supersunt in regione nobis vicina dicta freie Herrschaft Kniphausen, quae, publica pactione anno 1825 inita sub patrocinio foederis Germanici, Duei Oldenburgensi eo modo subjecta est, quo quondam diversa territoria Germaniae erant sub Imperatore et Imperio. Hoc autem est jus singulare. Cf. KLÜBER, öffentliches Recht des Deutschen Bundes, Franckfurt 1831 pag. 158. § 319. et HEFFTER, Beiträge zum Deutschen Staats- und Fürstenrechte, Berlin 1829 pag. 334, sqq. Peculiariter tamen illam sanctionem non in omnibus executionem habere posse, facile intelligitur.*

cietatem decreta est. Huic tamen restitutioni consentire noluerunt Hollandia, Frisia et Groninga, antequam de quibusdam conditionibus pactum esset, a quibus ipsis restitutio pendere debere videbatur. Arbitrabatur autem Zelandia, si concederetur, tres provincias non amisisse omnia jura, nec singula iis adimi posse; non plures enim adesse rationes, ob quas aliqua, quam ob quas omnia iis adimerentur. Post multas difficultates multaque dubia, tandem die 20 Aprilis 1674, inter quatuor eas provincias convenit de restituendis tribus reliquis et de conditionibus ipsi restitutioni adjungendis, de quibus uberiorius jam in Capite III. Partis I. egimus. Neque prius hae conditiones provinciis denuo recipiendis submittebantur, quam earum provinciarum Ordines iterum de conservando foedere Trajectino jusjurandum praestiterant. Ordinibus Trajectinis de illis conditionibus querentibus atque petentibus, ut de iisdem deliberare iis licet, responderunt Ordinum Generalium legati, nihil in lege admissionis posse mutari et nisi intra paucos dies ea approbaretur, provinciam a foederis communione exclusum, ejusque legatis sessionem negatum iri, »tot applandissement en welgevallen van de provincien Friesland en Groeningen, mids-gaders van vele quaedwillige en onaffectioneerde die haer in de Provincie van Holland nog bevin-den» A Principe, quem simili ratione adierant, responsum tulerunt: »dat de Staeten haer wysse-

»lyk diende te beraeden tot het aannemen van de resolutie conciliatoir, ende daertoe metten eersten bequamen sonder langer dilay om te voorkomen haere ruine, ende het perikel van uit de unie gesloten ende voor een conquest gehouden te werden<sup>1.</sup> » Duae reliquae provinciae pari modo ad accipiendas conditiones cogebantur.

His ipsis antem conditionibus ea jura, quae tres provinciae ratione universitatis ipso foedere acquisita habebant, pluribus modis minuta esse, vel leviter eas conditiones examinanti, sua sponte patebit. Ne enim dicam de minuto singularum provinciarum territorio cuius integratatem sibi foedere Trajectino Socii spouonderant, mutata quodammodo ipsius foederis constitutio est in primis proposita conditione, qua placuit modum vota ferendi in conciliis universitatis immutari. Cujus rei vel accipiendae vel rejiciendae cum nulla esset tribus provinciis optio relictâ, haec innovatio non dici potest iis provinciis consentientibus facta; eaque re jam quoad formam laesa est ipsius foederis constitutio, etiam si illa novatione singularum provinciarum jus ipsum quoad materiam non fuisse imminutum, eo modo quo id imminutum esse, supra docuimus. Etiam si porro admittetur, quod vero admitti non posse itidem patet ex

<sup>1</sup> Cf. *Resolutie justificatoir behelsende de redenen die H. E. Mog. geobligeerd hebben tot de aanneming der Resolutie conciliatoir van 20. April. 1674.* Quod documentum invenitur apud n. BONDT op. cit. in app. pag. 10.

iis quae supra dicta sunt, foedere Trajectino inito novum aliquod universitatis provinciarum imperium constitutum esse, et hujus imperii vi quatuor provinciis consentientibus tribus reliquis legem imponi potuisse, utique non solum non aqua, verum etiam injusta fuisse talis diminutio juris singularum provinciarum. Inficias quidem iri nequit, eo solo quod plures civitates mutuae tuitionis causa perpetuum foedus ineuntes constituunt, in iis, quae facienda sint ad hujus foederis finem adtingendum, plurimum suffragiis agi decernique posse, speciem quandam summi imperii constitui, idque imperii civilis naturam eo magis habere, quo magis confoederationis finis ad eum accedit, qui civitatis esse intelligitur. Hac mente, ut exemplo recentiori utar ex legibus fundamentalibus quae vocantur, hodierni foederis Germanici, ex quibus in supremis consiliis confoederationis Germanicae plurimum suffragiis reguliter decreta fieri possunt<sup>1</sup>, duplex quoddam supre-

<sup>1</sup> Duo quasi suprema collegia habet confoederatio Germanica, sive potius, unum collegium Francofurti constitutum, sub voce *Bundestag*, modo *in pleno* modo *strictiori concilio* decernendi jus habet ex causarum diversitate et utrumque concilium aliquo modo comparari potest duobus in Republica Batava constitutis sub titulis *Ordinum Generalium* et *Concilii Status*. Legimus autem in lege fundamentali foederis Germanici prima 8. Junii 1815, art. VII: »Sowohl in der engeren Versammlung als im Pleno werden die Beschlüsse nach Mehrheit der Stimmen gefasst, jedoch in der Art, dass in der ersten die absolute, in dem letzten aber nur eine auf zwei Dritt-Theile der Abstimmung beruhende

mum imperium in foedere Germanico exstat, alterum, voce *Bundesgewalt* significatum, quasi ipsius confoederationis imperium est, alterum cuique civitati foederatae proprium, verbo *Staatsgewalt*, in illis quoque legibus exprimitur. Hac mente etiam foedere Trajectino inito, quamquam eo ipso neque imperii Germanici, neque principum jure successionis ad Belgicarum regionum imperium vocatorum potestas jam abolita, aliquo modo tamen summum imperium universitatis septem provinciarum constitutum erat, quod sicut imperium *Ordinum Provincialium* in singulis regionibus incrementum quoddam rebus ipsis et factis accipere debuit inde ab ea aetate, qua revera abolita et principum anteriorum et Imperii Germanici potestas intelligi poterat, ita ut ab ea aetate etiam magis ad civilis imperii similitudinem accederet. Ceterum sua sponte intelligitur, foederaticum imperium, quod quasi tantum ad foederatarum civitatum summum imperium tuendum institutum esse intelligitur, ipso institutionis suae fine circumscribi, et in singulis tantum et definitis causis efficacem esse posse; quod, ut in hodierno imperio universitatis Germanicarum civitatum cernitur, ita etiam in eo imperio quod universitatis septem pro-

---

•Mehrheit entscheidet.» Res *ad plenum* pertinentes definitae sunt Art. VI: »wo es auf Abfassung und Abänderung von Grundgesetzen des Bundes, auf Beschlüsse welche die Bundesakte selbst betreffen, auf organische Bundeseinrichtungen etc., etc., ankommt, bildet sich die Versammlung zu einem Plenum etc.»

vinciarum nomine exercebatur, obtinuit. Ut porro in exercenda summa potestate confoederationis Germanicae, plurium suffragiis non omnia decerni possunt et in quibusdam causis nonnisi concordi omnium sociorum sententia aliquid statui potest<sup>1</sup>, ita etiam similiter in foedere Trajectino ineundo, Socii res quasdam, ut supra diximus, communis consensu omnium reservaverunt<sup>2</sup>. Inter alia hoc obtinere voluerunt Socii in *interpretandis* ipsius foederis dispositionibus<sup>3</sup>, atque hinc a fortiori hoc ex sententia foederis obtinere debuit in ejus dispositionibus, iis potissimum quae ad ipsius confoederationis constitutionem pertinebant, *mutandis*; disertis verbis etiam hoc Socii declaraverunt, cum universe<sup>4</sup> tum ratione dispositionum, quibus modus suffragia ferendi in negotiis universitatis definitus erat<sup>5</sup>. Cum

<sup>1</sup> Cf. *Bundesakte* Art. VII: »Wo es auf Annahme oder Abänderung der Grundgesetze, auf organische Bundeseinrichtungen, auf jura singulorum oder Religionsangelegenheiten ankommt, kann weder in der engern Versammlung noch im Pleno ein Beschluss durch Stimmenmehrheit gefasst werden.« Paululum diversis verbis haec causae recensentur in lege altera: *Schlussakte* Art. XIII. et illa dispositio, pro parte ex doctrina scriptorum Juris Publici nata inde a pace Westphalica anni 1648, originem suam repetit.

<sup>2</sup> Cf. Art. I, VI, IX, XI, XVIII, XIX, XXI, XXII.

<sup>3</sup> Cf. Art. XXI. In legibus Confoederationis Germanicae de hoc casu disertis verbis non agitur.

<sup>4</sup> Cf. Art. XXII. In legibus Confoederationis Germanicae quoque idem constitutum est.

<sup>5</sup> Cf. Art. IX. Ibi universe de rebus aliis unanimiter, aliis plu-

igitur anno 1674 in hocmodo quatuor provinciarum consensu, reliquis non consentientibus, mutatio facta est, hac ex parte contra legem foederis fundamentalem actum esse nobis dicendum est, etiamsi mentem avocemus a laesione ipsa, qua hac mutatione singulae provinciae, diminuto jure suffragii, affiebantur.

Ex iis autem quae adhuc diximus, sufficienter patebit, inquam suis rationem, qua Provincias Gelriae Trajectinam et Transialanam, postquam hostes ex iis decesserant, tractarunt Socii et in Societatem receperunt. Iis ipsis, quae jam antea in similibus casibus facta erant, potius improbari quam probari videtur agendi ratio, qua usi sunt quatuor provinciae anno 1674<sup>1</sup>, quamquam nec in illis semper justissimam viam inierunt provinciae, quae plurimum valebant.

rium consensu decidendis agitur et de suffragiis colligendis, »zulks als men tot nog toe in de Generaliteit van de Staten heeft gebruikt« Aliquo modo igitur universitatis Sociorum Trajectinorum conciliis, consuetudinem, in *Ordinum Generalium omnium provinciarum Belgicarum* quondam servatam, exemplo esse voluerunt foederis auctores. Addita sunt verba: »ende dat by provisie tot dat anders zal worden geordonneert by gemeen advys van de bondgenooten.« Cf. TROTZ, 1. 1. pag. 402, sqq.

<sup>1</sup> Cf. hac de re BYNKERSHOEK 1. 1. BONET 1. 1. pag. 75 sqq. et AITZEMA, *Herstelde Leeuw* fo pag. 97, ubi expositae leguntur rationes quibus quondam Drenthani jus suum vindicaverant. His nihil jure objici potuisse, putavit BONET qui etiam pag. 86, sqq. ULR. HUBERI argumenta ex jure Romano cum maxime repetita, circa jus Gelrorum, Trajectinorum et Transialanorum refutare conatus est.

Praecipua vero causa discordiarum inter provincias ortarum graviumque, quibus eae se invicem afficiebant, contumeliarum, quarum tot exempla nobis praebet Reipublicae historia, in regiminis forma hujus Reipublicae quaerenda est. Regebatur enim a concilio virorum a diversis provinciis delegatorum qui, sine communi lege vel jurejurando neque sufficientem auctoritatem habentes, semper in provincia a qua missi fuerant utilitatem agebant, non vero communis patriae commodum unice propositum sibi habebant. Erat igitur proprie laxissimum tantum inter diversas provincias communis imperii vinculum, et ab eo quod sibi majores proposuerunt, cum foedus inirent et Philippo imperium abrogarent, summopere diversum. Negandum tamen non est, ipsius foederis scripturam conjunctam cum ipsis rebus et factis quae posterius acciderunt, neglectae majoris unitatis causam praebuisse, et Republicae constitutionem quamvis, qua plures civitates, ita ut quaevis peculiaris civitatis dignitatem et libertatem retineat, ad unius corporis universitatem conjunctae sunt, qualem tamen Socii Trajectini indubitate voluerunt, sua habere incommoda. Est enim in ejusmodi civitatum systematicis quae vocant, duplicitis generis imperium et hinc fere inevitables sunt controversiae, de utriusque imperii finibus. Notae sunt eaeque gravissimae discordiarum causae, quae nuperrime in confederatione Germanica hujus rei causa ortae sunt,

neque solum de ea re Viri Politici, quorum jam plurimi de illis finibus scripsérunt, in diverissimas sententias discesserunt<sup>1</sup>, verum etiam inter civitates foederatas ipsas jam saepius sententiarum insignis diversitas conspici poterat, nec civitatum Americae Septentrionalis foedus, quod tamen multo strictius est et commune imperium habet magis ad civilis imperii similitudinem constitutum, prorsus alienum manebat a hujus generis controversiis<sup>2</sup>.

Primaria causa deficientis unitatis in Republica Belgii Foederati in eo ipso quaerenda est, quod in foedere communium negotiorum gestio nimium erat ad omnium provinciarum communem consensum restricta. Hac in re tamen praecipua quoque causa laesionis inerat, quam anno 1674 tres provinciae a reliquis passae sunt, ut supra demonstravimus. Hoc etiam sensisse videtur, quamquam non satis di-

<sup>1</sup> Cf. e. g. scripta diversissima mente: BEHR, *von den rechtlichen Grenzen der Einwirkung des Deutschen Bundes auf Verfassung, Gesetzgebung und Rechtspflege seiner Glieder-Staaten*, Stuttgart, 1820. v. WEILER, *das Staatsrecht der Deutschen Bundesstaaten im Verhältnisse zum Deutschen Bunde*, Freiburg 1833. J. H. ZIRKLER, *das Staatsrechtliche Verhältniss der Deutschen constitutionellen Staaten zum Deutschen Bunde*, Leipzig 1833. v. GRUBEN, *über das Verhältniss des öffentlichen Rechts des Deutschen Bundes zu dem Staatsrecht des Bundesstaaten*. Alia hue pertinentia scripta jam supra indicavimus. Aliam questionem tractavit HEEREN, *der Deutsche Bund in seinen Verhältnissen zu dem Europäischen Staatensystem*, Göttingen 1816.

<sup>2</sup> Cf. DU PONCEAU, in oper. laud.

lucide id exposuit, NIC. BOND<sup>T</sup><sup>1</sup>, cum, non tamen prorsus vere, ad vindicanda jura trium provinciarum diceret: »Cum ita se jungunt regiones, perinde ac si unam modo provinciam constituerent, hoc ad communem tantum defensionem et arctissimum amicitiae foedus spectare, cum non ea contrahentes mens fuerit, ut una tantum civitas esset et summa imperii per Unionem misceretur; contrarium enim et ex ipsa voce foederis, qua haec unio insignitur, quaeque multorum summo imperio utentium pactionem significat, et ex verbis patet, quibus singularum regionum jura illibata manere jubentur.» In his sane eadem argumentandi ratio inest, qua nuper usi sunt Viri Politici Germaniae, cum de laesis singulis civitatibus per decreta concilii foederatici quererentur, dicentes, Germaniam non esse civitatem foederaticam sed civitatum foedus.

Est certe indubitati juris, laedi posse singulas civitates, si in causis, in quibus ex lege et pacto fundamentali decidi a supremo concilio confoederationis nihil potest nisi unanimis omnium civitatum foederatarum sententiis, utique res decideretur suffragiis plurium potentiorumque civitatum, quae simul vim addere suis decretis ipsa sua potentia possent; sed alia quaestio est, num pro unitate Germaniae valde commendandae sint illae legum fun-

---

<sup>1</sup> I. l. pag. 91, 92.

damentalium praescriptiones, ex quibus in pluribus causis omnium consensus ad decreta facienda necessarius est. Sagacissime jam anno 1819 monuit Vir Cl. HUGO<sup>1</sup>. »Der König und das Parlament können alles, heist es im Englischen Staatsrecht, »in dem ehmaligen Deutschen lehrte man freilich, »die Mehrheit der Stimmen vermöge nichts gegen »jura singulorum. Was aber für ein Unterschied »im Erfolg zwischen England und Deutschland war, das hat man Jahre lang in allen Zeitungen gelesen, und da möchte man denn, eine der ehmaligen Deutschen Verfassung ähnliche Stelle in »der Bundes Urkunde auch für kein gutes Zeichen halten!»

---

<sup>1</sup> *Naturrecht*, § 354.



## THESES.

### I.

Novella 118 Justinianum magis composuisse quam innovasse successionem legitimam, statuo

### II.

Eadem Novella plene adoptati et arrogati recuperarunt jus succedendi patri naturali.

### III.

In illa etiam Justinianus videtur omnem differentiam inter *suos* et *emancipatos* sublatam voluisse.

### IV.

Nulla in contractu obligationis causa expressa, jure Francico debitoris est, probare nullam causam exstitisse,

## V.

Thesaurus, qui durante matrimonio invenitur in fundo marito ante matrimonium proprio, in communionem est conferendus.

## VI.

Testatorem in statu dementiae fuisse tempore facti testamenti, omnino probare licet, etiamsi interdictio antea provocata non sit, neque testamentum ipsum dementiae signum quoddam contineat.

## VII.

Praesumptions, quae jure Francico Civili Art. 721 seq. petuntur ex aetate cujusque et sexus, merito abrogatae sunt novo codice Belgico.

## VIII.

Regula *cognitionis poenam nemo patitur*, et in jure criminali Romanorum, et in Codice poenarum hodierno observata est sine ulla exceptione, ita ut ipso consilio, vel dictis vel scriptis simpliciter patefacto, nullus poenae locus esse possit.

## IX.

Minus recte nuda cognitionis primus conatus gradus nominatur.

## X.

Contra legem, Amstelodami die 21. Febr. 1838,  
judicatum est, conatum criminis in Art. 309 Cod.  
pen. conatum puniendum esse.

## XI.

Ex Juris Criminalis principiis non tantum noxia,  
verum etiam impia et inhoneste facta interdum  
recte puniri possunt.

## XII.

Non assentiendum P. PAULO statuenti, Philippi II  
imperio foedere Trajectino anno 1579 finem impos-  
titum esse.

## XIII.

Vere ANCILLON: »eine volkommene Trennung der  
»Gewalten oder der Regierung, wäre sie auch mög-  
»lich, würde die grössten Nachtheile mit sich  
»bringen und dem Zweck der bürgerlichen Gesell-  
»schaft gar nicht angemessen seyn.«

---





6030709







Diss.

18

tur, communia vectigalia Hollandiae in locis provinciae Trajectinae confinibus, incommodo exigebantur, et facillime fraudari poterant; tum quia in Provincia Trajectina non tam gravia vectigalia, quam in provincia Hollandiae, exigi solebant. Putabant porro quidam, congruens fore, provinciam Hollandiam in conciliis Generalibus cum locum conservare, quem tunc temporis occupabat, inter ceteras provincias scilicet et socios primarium<sup>1</sup>.

Deliberationibus hac de re cum Principe Arausiaco initis<sup>2</sup>, in concilio Ordinum Hollandiae 2 Febr. anni 1674 decretum est, Provinciam Trajectinam duasque alias, cum ab hoste liberatae forent, iterum in reliquarum provinciarum societatem admittendas esse, ita ut eundem locum reciperent, quem antea occupaverant, et omnia, quae antea sub earum ditione fuerant territoria, ad eas redirent, quibusdam tamen castellis exceptis, quorum imperium Hollandia haberet<sup>3</sup>. Die 3 ejusdem mensis iidem Ordines res in concilio Ordinum Generalium

<sup>1</sup> Cf. *Secrete Resolutien der Staten van Holland*, 23 Januari 1674. Vol. III. pag. 411.

<sup>2</sup> Cf. WAGENAAR, Vol. XIV. pag. 319, sqq. et *Utrechts Plaatsboek*, Vol. I. pag. 111. *Resolutie van Hooghgemelde Heeren Staten Generaal behelzende het advis conciliatoir van zijn Hoogheyd, den Heere Prince van Oranje, nopens de herstelling van Utrecht, Gelderland en Overijssel, en de Reassumtie in de Unie*, in dato den 19 Jann. 1674.

<sup>3</sup> Cf. *Secrete Resolutien der Staten van Holland*, 23 Janu. et 2 Febr. 1674. vol. III. pag. 414 et 415.